ANNI MONSTRET
CONTIGERE FRVCTVS

CIVITAS VERI SIVE MORVM BARTHOLOMEI DELBENE PATRICII FLORENTINI

AD CHRISTIANISSIMVM HENRICVM III. FRANCORVM ET POLONIÆ REGEM

Aristotelis de Moribus doctrinam, carmine et picturis complexa, et illustrata Commentariis

THEODORI MARCILII.

Professoris Eloquentiæ Regij.

Ἔτος φέρει οὐχὶ ἄρουρα.

α. χ. π. ε.

PARISIIS
Apud Ambrosium et Hieronymum Drouart sub scuto Solari via Iacobæa.
M. DC. IX.

Thomas de Leu fe:

CHRISTIANISSIMO FRANC. ET NAVAR. REGI HENRICO IIII.

ARCHITECTI, qui tibi regias extruũt (Henrice regum inuictiſſime)& ea publicorum operum miracula attollunt, quibus vrbium principem, quam ruinis deformem acceperas, ſupra orbis ornamenta decoraſti: nõ ante prima ponunt fundamina, quàm exemplaria ſubiecerint, quibus opificij futura dignitas conſpiciatur. Ego contra *Ciuitatem* hanc *Veri* ſiue *Morum*, regni à te feliciter efformati ſpecimen, tuæ majeſtatis oculis conſpiciendam non prius offero, quàm tu victor efformaſti. Nam quæ in illa verbis effinguntur, tu rebus præclarè geſtis expreſſiſti: quæ virtutes præceptis philoſophicis deſcribuntur, tu regijs exemplorum documentis tradidiſti: quæ vitiorum monſtra conſilio pulſantur, tu manu fugaſti: quæ votis optatur ciuium ſecuritas, tu eam ſingulari ope in tuo imperio collocaſti. Laus iſta temporum tua palma eſt, ſalus populorum tuum munus, votum animorum tua ſalus: tua omnium ſomnos vigilantia, tuus omnium otium labor, tua omnium artes tuetur induſtria. Quæ etiam ſi parua dicta ſunt, tuarum virtutum amplitudini imputabis, & veritate pro laude contentus *Ciuitatem* hanc *Veri* ſpeculum potius quàm modulum aſpicies, vnde regni non conſtituendi peritiam rimari, ſed tanto ciuium bono iam conſtituti gloriam valeas admirari. Illam quidem olim Auus Henrico III. nunquam ſilendæ memoriæ Regi dicandam conſtruxit: ſed cum ſubito coorta bellorum ciuilium tempeſtas regnum oppreſſiſſet, & tantæ majeſtatis lumen extinxiſſet, iacuit illa in ſitu, & ſqualore, iiſdem offuſa tenebris, quæ Regem, quæ Regnum, quæ bonorum omnium mentes ob-

duxerant. Verùm cum poſtmodū tuæ majeſtatis iubar affulſit, & ingruentem temporis infeliciſſimi caliginē diſcuſſit, diſcordiarum faces extinxit, ſanguinis paſſim fluentis riuos repreſſit, & pacis optatam tranquillitatem reduxit, tum illa eruta ex puluere, & eodem, quo tua Gallorum ciuitas omnis publicè, priuatimque, lumine afflata, propius ad eum Solem, vnde nouum ſibi ardorem aſpirari ſentiebat, accedere concupiuit. Huc acceſſit, quod regalis hæc tua munificentia, quæ totum tui imperij orbem tanta felicitate compleuit, ad familiam quoque Delbeneam reſpexit, & quam regio ſemper numini deuotiſſimam cognouerat, nouis inſuper beneficijs deuinctiſſimam eſſe iuſſit. Qua enim dignitate Henricus III. Patruum meum decoratum eſſe voluerat, eandem, quo illius interitu minus angerer, tu in me contuliſti. Quì fit, vt cum ego in Auum, in Patrem, in Patruū, in totam familiam congeſta quondam regia manu beneficia in me renouata experiar, Aui veſtigijs inſiſtens, monumentum hoc vigilijs illius elucubratum, tuo numini dicare conſtituerim. Erit enim, quale parauerat memoris erga ſuum Regē, & deuoti pectoris indicium, tale & obſequij, & officij mei erga Regem, Dominúmque meum teſtimoniū: Impar quidem tantę majeſtati, tantiſque ab ea profectis muneribus votum: ſed nec imparis famam metuo dum fugio nomen ingrati, nec vllus tam improuidus veniet rerum æſtimator, qui non meæ infirmitati ignouiſſe malit, quam tuæ infinitatis obliuiſci. Accipe ergo (Regum munificentiſſime) ſubditæ, & addictæ tibi mentis non ingratum ſtudium: & quam ſola dandi facilitate excolere nouiſti, regiam beneficentiam ſumpto hoc opuſculo coli patiare. Vale. Datum Lutetiæ Pariſiorum primo Cal. Febr. 1609.

MAIEST. T.

Deuotiſſimus & Addictiſſimus
ALFONSVS DELBENE
Epiſcopus Albienſis.

AD POTENTISSIMVM, ET CHRISTIANISSIMVM HENRICVM III. GALLIÆ ET POLONIÆ REGEM IN VERI Ciuitatem Bartolemæi Delbene.

Præfatio.

REBVS in humanis dominetur vt inclyta VIRTVS,
Inclyte REX, cuius facilè hinc est scire volenti.
Illa tuæ fulgens amitæ sub pectore, laudum
Copia, me fecit, specie inflamatus honesti
Tollere humo ingeniū vt possem, & contendere longè
Mente animi super & tenebras, & nubila vulgi.
Nam velut exiguo nascens de semine pinus,
Purpurei surgit pulcherrima regis in horto,
Atq. alias inter frondoso vertice vires
Eminet arboreas: Tusco deuectus ab Arno
Sic ego, re tenui, valeo nunc vincere magnos
Muneribus reges, quos sæcula prisca tulēre,
Fortunæve etiam quos nunc fouet aura benigna.
Inter & Arsacidas non vltima gloria Xerxes,
Et magni Æacidæ qui sanguine cretus Achillis
Magnus Alexander, non magnæ sortis amicis
Magnas donauēre vrbes, sed perdere posset
Motio quas terræ, vel sæua incendia flammis,
Aut maris eluuio, aut annosa abolere vetustas.
Ast ego magne tibi nunc REX HENRICE, beatæ
Vrbis, & æternæ, perfectæq. offero munus,
Structæ materia cariem haud metuente, situmque
Temporis, aut fortunæ æstum, aut capitalia Regum
Iurgia, quæ pessum dant vrbes, maxima regna

Funditus euertunt, vastis conuulsa ruinis.
Scilicet hanc vrbem, tibi quam nunc dono dicoq.
Inclyte REX, *non discidij fax vrere, nulla*
Irarum rabies agitare, aut praualet auri
Laedere sacra fames, non exhaurire bonarum
Quas comportarat virtus, effusio rerum.
Nulla hic ambitio viget, aula dira Celano
Unguib armata, & properans liuentib. alis
Tollere iners sese, & lucem adfectare, sibiq.
Praemia virtutis sollemnia poscere vecors.
Ergo & quam tibi nunc REX *dedico Maxime, digna est*
Cunctas imperio regere vrbes vna, suaq.
Sub dicione orbem terrae, gentesq. tueri.
Lustrat enim mentes VIRTVTVM *purior aura*
Nostra ex vrbe fluens. Harum alta palatia cernis
Ordine cliuorum hic plano, & variantia signis
Quaq. suis, atq. heroum distincta figuris.
Quos bene de vita meritos aut prisca tulêre,
Aut haec saecla vident positos in culmine laudis.
Hos inter quoq. laetus auos mirabere luce
Circum purpurea fusos, teq. ipse decorum
Legibus atq. armis primaeuo in flore iuuentae
Lucifer è caelo Veneris, non pulchrius olim
Mane caput profert vndis perfusus Eois.
Fer quoq. dehinc oculos per quadrua compita circum
Bina voluptatum hîc facies. Fallaciter vna
In praeceps iaciens blando quasi carmine vulgus,
Saepe etiam magnos falsa sub imagine reges
Decipiens, soliumq. euertit, sceptraque frangit.
Hic etiam duplex dolor. Vnus sternere sollers
Ante viam laudi, dominaeq. anteambulo magnae
VIRTVTIS: VITII *relegens vestigia foedi*
Alter, & adsiduo male conscia pectora scindens
Vulnere, vti vultur celsa sub rupe Prometheum.
Adspice dehinc geminas media regione viarum
Surgere ceu moles, duplicis bicoloria templa,
Foedus amicitiae duplex signantia, verum
Et fictum. Vera in vulgus sunt foedera saepe,
Ficta sed aularum. Simulatio fingit amicos
Hic omnes: ad rem si ventum est, omnibus omnes
Hostes ambitio facit, & spes blanda lucelli.

Porro & flammiferi ſummo ſtat vertice ſaxi
Templum ingens, Prudentia vbi, quæ regib. apta
Inprimis, quoniam rebus præferre gerendis
Vna facem potis eſt, alto velut æquore lucem
Fluctibus in mediis ſpargit pharus: atq. ea ſyrteis
Et breuia oſtendit, ſcopuliſq. auertere puppim
Voce monet veluti miſſa, portumq. ſubire.
Hæc tibi REX INVICTE *& talia, magnus in huius*
Vrbis Ariſtoteles me interprete ſingula tradet
Partibus, & mentem ornabit, luciſque beata
In regione tuam ſiſtet. Sic denique magni
Maior Alexandri veniet tibi nomine fama.
Maius enim gentes gyrum in rationis & æqui
Flectere, virtutumq. animos compeſcere habenis:
Vrbes quàm capere, aut arces exſcindere, & armis
Vincere, & imperiis hoſtes frenare ſuperbos.

POTENTISSIMO
CHRISTIANISSIMOQVE
HENRICO III. GALLIÆ ET
Poloniæ Regi inuictiſſimo.

DICTVRVS olim Romanus orator apud Cæſarem, *Cæſar*, inquit, *qui apud te audent dicere, magnitudinem tuam ignorant, qui non audent, humanitatem.* Quo principio mihi videtur omnes vti poſſe, Rex omnium Chriſtianiſſime ac potentiſſime, quibus ad te ſcriptio dictióue aliqua ſuſcipitur. Nam & Regiæ tuæ maieſtati nulla par inueniri poteſt oratio: & humanitas tua ne infimorum quidem obſeruantiæ & ſtudij ſignificationem reſpuit. Ac ſumma quidem tuæ maieſtatis amplitudo certat cum pari humanitate ac beneficentia: nos tamen tenuiſſimis opibus homines, humanitatis tuæ & benignitatis admiratione ducimur magis, quam faſtigij ac ſplendoris: perinde vt in ipſius præſtantis æternæque naturæ bonitatem animo & cogitatione feruntur citius homines, quam in opes ac poteſtatem: priuſque OPTIMI id-eſt beneficentiſſimi olim Iupiter à Romanis, quam MAXIMI ſiue potentiſſimi nomine affectus eſt. Itaque multi ad te ſcribunt aut dicunt quotidie, qui tametſi in Maieſtatis tuæ ſplendorem quaſi orbem ſolis intueri non audent, clementia tamen tua & facilitate prope ſingulari alliciuntur. Quorũ vt ego quoq; in numero adhereſcerem, factũ eſt non aliqua doctrina, ingenij aut ætatis fiducia quorũ in me flos & ſpes, magis quam res aut maturitas: ſed blandiente occaſione quæ mihi valde cupienti, ſed prorſus inſperanti oblata eſt. Cum enim BARTOLOMÆVS DELBENIVS Patricius Florentinus CIVITATEM Veri, ſiue morum verſibus deſcripſiſſet, in qua expoſuit omnem Ariſtotelis ſummi viri de virtute ac vita beata ſententiam, poëticæ talium rerum deſcriptioni, meam adhibere interpretationem voluit, vt ſi quid in ipſo poëmate ſupra captum vulgi eſſet, hoc ipſum oratione ſoluta liberius, quaſi ante oculos poneretur. Quæ interpretatio tibi offerenda fuit REX INVICTISS. ET CHRISTIANISS. quoniam ipſe tibi opus ſuum Poeta conſecrauit. Eſt quidem hæc ieiunior mea & leuior commentatio, quam vt recte in tuo principis tanti nomine apparere poſſit, ab Ariſtotelis tamen doctrina & ingenio,

commendationis fortasse nonnihil accipiet, cuius è fontibus hic noster quasi riuulus emanauit. Argumentum quidem certe ipsum Poëmatis tale est, vt REGIA MAIESTATE non alienum videri possit, cum vt auctor ipse in operis sui præfatione posuit, talis sit hæc VERI siue MORVM CIVITAS, vt omnibus omnium quæ conditæ vnquam fuerunt ciuitatibus excellere videatur. Illas enim vel temporis vetustate, vel mutatione fortunæ, vel seditionibus ac bellis intestinis labefactati tandem & conuelli potuisse: hanc vero non illis tantum malis vacare, sed ne à communibus quidem his conuictus & societatis humanæ pestibus, & tanquam furiis, auaritia, ambitione libidine, aut id genus aliis expugnari. Virtutes enim vitiorum expultrices tanquam ciues sunt incolentes hanc ciuitatem. Beatitudo autem ipsa quasi domina eius ac regina est, in cuius arcem munitissimam, mali adspirare nihil potest. Neque enim alia vitæ beatæ notio est, quàm *secretis malis omnibus, cumulata bonorum complexio.* Eaque vt nauis duabus quasi anchoris prudentiæ sapientiæque firmata, nullis in cursu humanæ vitæ fluctibus frangitur aut iactatur. Non mirum igitur si adiungit auctor hanc illam ciuitatem esse, quæ nata sit aptáque leges aliis ciuitatibus imponere, omnesque hominum cœtus ac societates à vitiorum semita quasi habenis rectæ rationis reflectere in viam publicam & regiam virtutis, inque ipsam deducere sedem ac regionem vitæ beatæ omnibus malis vacantem, bonis omnibus circumfluentem. Quæ cum talis tantaque ciuitas auctoris Poemate informata sit, verissima nimirum eius ratio est, prædicantis vt pini arbores procerissimæ de paruo semine oriuntur, ita se à principiis tenuissimis profectum, iam facultatis tantum habere, vt ciuitatem donare possit, qualem ipsi olim orbis terræ principes amicissimis suis nunquam largiti sunt. Persarum enim Rex refertus omnibus præmiis donisque fortunæ Xerxes, *Themistocli* Atheniensi quinque vrbes Asiæ vtendas fruendas dedit: M. Antonius *Anaxenorem* citharœdum quatuor ciuitatum vectigalibus ditauit, Alexander multas plerisque amicis vrbes obtulit: nemo dare talem vnquam potuit, cuius ambitu & regione felicitas ipsa contineretur.. Itaque non diffido fore, vt liber talis, quemadmodum optimæ notæ vinum ætatem facile ferat, vigeatque non præsenti solum, sed etiam posteritatis memoria, quia præclarè auctor,

miscuit vtile dulci,

grauissimasque Aristotelis de virtutibus, deque vltimo illo vitæ præmio disputationes poetici mellis dulcedine temperauit. Longe dissimili quidem vt spero, euentu, atque hodie multi exeunt libelli, de quibus ille veteris Poetæ versus recte vsurpetur.

Ὠκύμοροι καπνοῖο δίκην ἀρθέντες ἀπέπταν
Vanescunt momentanei, ceu fumus in auras.

Quorum de numero meus liber commentarius eſſet, niſi Ariſtotelis ſapientiæ principis inuentis, & genio niteretur. Eaque fiducia tibi Regum MAXIME ET CHRISTIANISSIME hoc qualecunque ingenij mei munus offero, abſque vlla diligentiori commendatione, & ſine magnifico laudum tuarum præconio. Nam & odio, vt inquit tragicus Poeta, ſunt ſæpenumerò nimię laudationes; & amens ſim, ſi tam leui hoc & anguſto genere dictionis tuarum laudum magnitudinem adæquare velim, quæ ſolis orientis atque obeuntis terminis ac regionibus continetur. A.d.xiv. Kalend. Ianuar. Anno Salutis, CIↃ. IↃ. XXCV.

REGIÆ TVÆ MAIESTATI

obſequentiſſ. cliens.

THEODORVS MARCILIVS.

IN CL. V. BARPTOLEMAEI DELBENE PATRITII FLORENTINI CIVITATEM VERI, SIVE MORVM, SIVE POETICAM VIRTVTVM ET FELICITATIS EX *libris x. Aristotelis ad Nicomachum descriptionem, Præfatio Theodori Marcilij.*

FLOS Imperij Romani C. Iulius Cæsar cum in epulo Cleopatræ sacerdotem Achoreum adsaretur apud Lucanum, de anno suo magnificè gloriarus est.

Nec meus Eudoxi vincetur fastibus annus.

quæ C. Cæsaris de anno suo & si non vanissima gloriatio fuit, tamen affirmare licet Delbenij Patricij Florentini annum digniorem esse, de quo & ipse auctor glorietur, neque vlla vnquam ætas conticescat. Neque enim horarum aut momentorum, siue, vt dicitur minutiarum ieiunis ratiocinatiunculis, vt soliti mathematici, in puluere aut abaco subtiliter descriptis, sed poeticæ totius florum varietate, & vberrimis sapientiæ fructibus anni sui partes omnes ita compleuit, vt sine asperitate hiemis vbique aut veris amœnitas, aut æstatis & autumni maturitas & copia delectet.

In primis autem hæc anni pars quam *ciuitatem Veri siue morum* inscripsit, & quasi Nouembrem sui anni mensem voluit, in qua philosophiæ moralis, omniumque & animi & ingenij virtutum præcepta, sic vt Lucretius loquitur, poetici mellis sui contingit.

dulci flauóque liquore,

vt non solis iam virtutis aut sapientiæ studiosis, verum etiam voluptariis hominibus & imperitis, grata & iucunda videri possint. Qua scriptione nihil, & in præsens, & ad omnem posteritatis memoriam esse debet commendatius. Quid enim præclarius quàm Aristotelis summi viri de omni vitrute ac felicitate mentem & sententiam ex vmbraculis ocioque eruditorum, in priuatorum familias & principum comitatus perducere? Mihi quidem effector tanti operis ac muneris videtur non iniuria cum Lucretio dicturus.

Auia Pieridum peragro loca, nullius ante
Trita solo, iuuat insignem petere inde coronam,
Vnde prius nullis velarunt tempora Musæ.

Sed non alienum fuerit, principio statim de occasione huiusce tanti muneris



A. Sol oriens & ingrediens Sagittarij ſignum, menſe Nouembri.
B. Nox in curru iuncto equis nigris fugiens cum velo ſuo in occaſum.
C. Pueruli alati XXIV. candidi ſignificant dies, atri noctes, quarum hoc menſe numerus maior.
D. Caſtellum Riuolium, Taurino diſtans VI CIↃ P.
E. Hortus Caſtelli Riuolij cedris citriſq. conſitus.
F. Margarita Galliæ regis filia, Sabaudiæ principis coniux
G. Riuolium oppidum.

muneris à Poeta suscepti paucis exponere.

Patrona ei beneficentissima fuit Margarita Francisci Christianissimi Galliæ Regis filia, coniux Allobrogum Principis: cuius tanti merita semper habuit, vt sibi vix cogitatione ipsa magnitudinem eorum adæquate posse videretur. Huic Reginæ tunc in arce Riuolij, in Pedemontanis degenti anno CIↃ IↃ LXV. forte odas aliquas ex libris anni sui antegressis, auctor in magno domesticorum eius comitatu frequentiaq. obtulit. Illa, vt auctoris animum ad maiora quædam excitaret, renidens, vereor, inquit, ne contra quam tu speras, post ver anni tui tam efflorescens, post tepentes Zephyros, cælumque serenum æstatis, messis & vindemia non copiosissima sit. Cum enim ad autumnum ipsum iam perueneris, nullam tamen lectori tuo spem adfers, futurum vt flores illos, & folia, & frondes, fructus aliquis reconditæ cuiusdam & seriæ doctrinæ consequatur. Tum ille de sua in Reginam obseruantia præfatus, illam sui ingenij esse inquit, solem, cuius radij hunc poeticum annum effecerint. Itaque non aliunde quam ab illa sperari posse autumnum fructibus abundantem, aut materiam quæ condimentis versuum adhibitis doctrinæ & studij quasi pabulum sit, quo legentium animi expleantur. Quæ cũ auctor huiusce libri dixisset, tum Regina, memini, inquit re, cũ in regis mei fratris comitatu essẽ, legisse olim mihi, conuersa Hetruscè aliquot capita quatuor aut quinque ex libris Aristotelis ad Nicomachum, sed à lectione illa tunc me reiecit obscuritas, non minus negotij exhibens quam latina interpretatio. Neque enim ille interpres ea quæ breuiter dixit Aristoteles dilatare visus est, neque tantarum rerum magnitudinem summittere paulisper ad ingenia discentium, neque lucem vllam adferre dictioni Aristotelis, multis locis obscuræ, cũ propter concisum & minutum genus orationis, tum quia proprijs philosophiæ verbis referta est, quæ soli rerum illarum periti facile intelligunt. Has igitur tenebras ingenij tui luce depelli cupio, nudamque rerum præceptionem vestiri pellucente oratione, seueritatemque sapientiæ illius poetico tuo lepore hilarari. Quod mihi quidem videtur ita commode fieri posse à te, si oda vna, siue carmine separatim, virtutes vitiaque singula decantaueris, notis adpositis, quibus honesta & turpia secerni possint, vt animi à vitiis abducti ad honestatem moueantur. Hoc mihi gratius facere nihil potes, neque principi filio meo, cum ad florentem ætatem peruenerit, vtilius. Nam perinde vt ego, naturæ ipsius instinctu, poesi ducitur & delectatur. Itaque confido fore, vt carminum dulcedine delinitus, tam salutaria viuendi præcepta facilius mandet memoriæ, omniaque obseruet non minus iucundè ac hilariter, quam hoc ipso tempore in gremium meum, vt-pote puerulum accurrentem vides, laxatis ei habenis à præceptore. Vix, inquit, auctor, sine instinctu diuino adflatuque Apollinis hoc fieri potest. Magnum enim & inusitatum negotium est; tamen quia virtutis laus sæpe tribuitur necessitati: hac fiducia pergam obluctari difficultatibus non paucis, quibus tanquam visionibus nocturnis pulsatus mihi

animus, magnitudinem operis perhorreſcit. Nam multa mihi in mentem veniunt incommoda, illud verò imprimis, Poëſim totam in fabulis eſſe & iucunda rerum imitatione, itaque ceu alienam philoſophia vituperatam eſſe à multis, vt Zenone Stoicæ familiæ principe, quem dicere ſolitum ait Laertius. *Poeſi nihil eſſe ineptius ad comprehenſionem ſcientiarum.* Sed voluit, credo, Pœnulus ille dicere ὀπίσως, non ποιήσως. At Romanus quidem certè Philoſophus Cicero Tuſcul. II. *Sed videſne*, inquit, *Poetæ quid mali adferant?* &c. Et mox. *omnes virtutis neruos elidunt. Rectè igitur à Platone educuntur ex ea ciuitate, quam finxit ille, cum mores optimos, & optimum Reip. ſtatum exquireret.* Perdifficile igitur & arduum videtur poetico more ac modo ſcribendi, veritatem ex Democriti puteo eruere, lucémque adferre ſententiis obſcuris, & dictioni Ariſtotelis. Sed alia ex parte ſe mihi offert vera illorum ratio, quibus poeſis non videtur eſſe abhorrens à philoſophia: vt Ariſtotelis, qui philoſophum eſſe ait φιλόμυθον ſiue ſtudioſum fabularum, & Strabonis, qui poeſim primam eſſe ait antiquiſſimámque philoſophiam, libro I. Geographiæ.

Nec verò mediocritate ingenij mei deterreor. Nam parui ingenij & minoris doctrinæ opinionem & famam ſubire malo, quàm inofficioſus videri, aut parum obediens. Et quidem obſeruantiæ meæ in te magnitudo mihi dabit fortaſſe plura ingenio maioraque complecti, quàm credere vnquam aut ſperare potuiſſem.

His ita dictis tum inde diſceſſum eſt. Triennio autem poſt habitum illum ſermonem, auctor hunc anni ſui librum, ſiue hanc partem menſi Nouembri accommodatam perfecit. In qua cum vbertim animos legentium ſucco ipſo & medulla diſputationum Ariſtotelis de vero, bono, pulchróque de virtutibus animi & mentis ex decem libris eius ad Nicomachum paſcere vellet, poeticæ facultatis in hoc argumento ſupellectilem expoſuit, quæ cum ad tanti epuli ſplendorem vix ſatis lauta videretur, etiam à pictura ſorore eius gemina germana mutuatus eſt. Sapienter enim vidit, nihil tam efficax fieri poſſe ad ſpecies rerum claras & illuſtres animis inſerendas, quàm picturæ cum poëſi coniugationem, vt ſi quid poeta non ſatis calamo deformauit, hoc penicillo ſuo pictor imitetur. Quod cum ita eſſe oſtendere vellet Simonides poeta, ingenioſè dixit: *Poema loquentem picturam eſſe: picturam, tacitum poema.*

Poema vero ſuum auctor inſcripſit Veri, ſiue motum ciuitatem: nihil enim ciuitati ſiue Reip. ſimilius, quàm virtutum ac vitiorum ac Beatitudinis deſcriptio. Animus enim ipſe vrbis ſimilitudinem habet: virtutes & vitia bonorum & malorum ciuium, vt-pote habitus ſiue adfectiones animi firmæ & permanentes. Adfectiones vero ſiue imperfectæ virtutes ac vitia vt continentia, incontinentia tanquam ciues imperfecti, vt ſenes & pueri c. 1. l. III. de Republ. c. 1. l. IX ad Nicom. Prudentia publica ſiue politica, tanquam domina & regina

& ἀρχιτεκτονικὴ vt cap. I. lib. I. cap. VII. l. VI. ad Nicomachum. Beatitudo ipſa denique tanquam *ſalus populi*, quam ſapientiſſimus quiſque ſemper *ſummam legem* eſſe iudicauit. Neque diſſimili partium deſcriptione permotus D. Auguſtinus libros XII. omni doctrinæ copia circumfluentes, *de ciuitate Dei* inſcripſit.

In primis autem fictio illa ciuitatis in poemate laudari poteſt, cum poetis nihil ſit vſitatius, quam virtutum & vitiorum domos, & quaſi regna verſibus depingere. Sic enim ipſe poetarum Deus Homerus Iliadis lib. XIIX. in Clypeo Achillis duas diuinitus pinxit doloribus ſuis ciuitates, pacis vnam, alteram belli, quas & Philoſtratus expreſſit in Pyrrhi imagine: Neque diſſimiliter, Ouidius domicilium Inuidentiæ, Prudentius arcem Sapientiæ, in Pſycomachia, alij alia quaſi carminis penicillo imitati ſunt.

Neque ineleganter hæc, *veri aut morum ciuitas* nominata eſt: *Morum ciuitas*, quoniam collocatæ in ea ſunt virtutes morales: *Veri ciuitas*, quia continet virtutes intelligentiæ ſiue mentis. Sed ne longior pugna ipſa proluſio ſit, iam ad interpretationem operis tempus eſt accedere.

DIES PRIMVS IN QVO ITINERIS IN HANC CIVITATEM ET QVINQVE PORTARVM CIVITATIS DESCRIPTIO.

Tempvs erat, præceps rueret cum pomifer annus
Vicinæ metuens Borealia frigora Brumæ:
Iam coma siluarum de vertice glauca fluebat,
Somnia gaudebant per noctis pascier vmbram,
Atq. soporatas mentes variare figuris:
Me quoq. contingens pigris cum leniter alis
Fouit, & hac pinxit mihi somnus imagine mentem.
Visa mihi coram Regina adsistere, & hisce
Vocibus adfari, laudisq. inmittere curam.
Iam procvl Octipedis fugiens à limine Titan
Scorpij, & hospitium lætus sapientis inire
Centauri, fouet hunc: & mulcens lumine flauo
Arquitis antiqui canos in vertice tingit,
Sicque recentato spargit, quasi flore iuuentæ:
At tua Delbeni semper candore niuali
Sparsa capillity cano stat vertice silua,
Tinctáq. non vllo flauescit lumine Phœbi.
Iam decies duo lustra tibi fluxère, senectus
Iam grauis, & vitæ stat in ipso limine meta:
Quin tu alacer tandem quasi cui spes laudis honestum
Percussit thyrso pectus, languore solutus,
Tollis humo ingenium & mentem, properásq. subire
Æternum, quod dia colit Sapientia, templum?
Me duce carpe viam, neq. te remoretur euntem
Aut oculorum acies hebes, & quasi vespere vitæ
Caligans: viresue haud postmodo vt ante virentes
Corporeæ. Hoc iter est mentis. Iuuenescit in horas
Mens animi & floret, cum debilitata senescit
Corporis extrorsum species: sic Phœbus in Austrum
Decliuis procul à nostro cùm limite cedit,
Sæuit hiems nobis, ventis mare, frigore tellus
Clauditur, & bruma gyro interiore niualis

Cogitur ire dies: alio sed climate vernus
Et maria, & terras Zephyrorum pandit inertes
Spiritus, & longi incipiunt procedere soles.
Ergo ades, & sequere ingenio, penetraq. beatam
Hanc sedem, est ubi dux PRVDENTIA *reb. agendis.*
Hanc ego nunc viso his tantùm comitata duabus.
His Dominæ monitis, non me sopor ille reliquit,
In somnis vigilare tamen mihi visus, & acri
Incensus studio, Dominæ vestigia lætus
Pone sequi, celsas properè scandentis in arces:
Qualis plena sui rediuiuo lumine fratris
Luna per ætherios nota regione viarum
Campos fertur ouans, geminis circumflua stellis,
Mane sub aduentum Solis, cum Lucifer agmen
Præminat ætherium, & statione nouissimus exit.
Ignea sic dominæ puræq. simillima luci
Semita, ego flammæ velut vmbra in sole coruscæ,
Lucida quæ non est, creperæ tamen æmula luci.
Interea his Dominam visus mi adfarier vltro.
Dum tua confector vestigia lætus, & arcem
Inuolito hanc, animi, tecum, alternantibus alis,
Nescio quæ inluxit mi animo tam clara repente
Tempestas, hilaratq. noua ratione. Supremo
Illa refert, à rege tibi hæc sunt lumina, & vni
Huic grates meminisse decet, non illa putare
Muneris esse mei. Veluti cum deuius olim
Deprensus sera in siluis, sub nocte viator,
Inuenit si forte viam, cum Cynthia lucem
Præbuit accensam magna de lampade fratris,
Non Lunam, quid enim cuiquam dare surda petenti
Luna potest, sed enim cæli terræq. potentem,
Cuius opus Sol est ipse & vaga Luna, salutat,
Et grates agit huic gratas, debere salutem
Huic vni meminit, qui dux est certus in omni
Præmonstrare viam vitæ, quam dicere noctem
Possumus. Incerta vt nocturnis Cynthia ductrix
Horis, sic ratio cæca in caligine nostri
Nobis dux animi est, vaga, multa aduersa reuertens,
Ipsaq. ducis egens. Crescit Latonia, moxq.
Decrescit, pleno nunc enitet ore, trientem
Parcè dehinc aperit, furuæ caligine tandem

Triste caput mergit, non vultus non color vnus
Vnquam illi, docta adsiduis variare figuris:
Sic ratio humana est varia, & mutatur in horas,
Nec semper statuit securos limine VERI,
Cuius ego hanc vrbem, turresq. & fulgere longè
Mœnia conspicio, & flammam, quæ vertice rupis
Marmoreæ medio rutilat splendore perenni:
Et quino latere adsurgens latéq. coruscans
Interiora vrbis perfundit lumine puro.
Aspice planities circum vt pulcherrima ridet
Non procul à pelago, cincta herbescentibus actis,
Atque solo Cereris, siluaq. & stirpe Lyæi.
Fronte Eurum spectat, soli est auersa cadenti:
At latus hoc Boreæ patet, illud flatibus Austri,
Mœnibus & magno fossæ molimine clausum est.
Atq. ita naturæ & sociatis dotibus artis
Splendidaq. ad speciem, ad vitámq. est tuta beatam.
Quinq. patet portis, quarum quæ prima, pyropo
Auroq. effulget, fornix postesq. superbi
Stant ebore atque ebeno, stat culmine Phœbus Apollo.
Cumque horis stat clara dies, stat mensis & annus.
Hæc vbi dicta dedit, portam Regina secundam,
Visit quæ sertis fragrans & amœna corollis,
Chlorim habet, ac Zephyrum spargentes tempora Verni
Floribus omnimodè variis, & suauibus herbis.
Tertia habet flauam Cererem, patremque Lyæum.
Mensa his adposita est, & præbet Copia cornu
Diuite poma suo, Auctumnus noua pocula musti.
Quarta virens, hedera & circumuestita sequaci,
Martem habet in gremio Paphiæ, captendula nectit
Callida quos fabri, malè qui vulgauit amores
Coniugis ipse suæ, factusq. est fabula vulgi
Loripes insensusq. senex. Tum stridet aheno
Cardine quincta, suis impletq. sonoribus aures.
Verticem in hac summum retinet citharœdus Apollo,
Musarumq. chorus. Quatiunt pars cymbala circum,
Pars fidibus, pars voce canunt, atq. æthera mulcent.
Hanc, abeunte die, vir natu magnus, & idem
Maximus ingenio, & naturæ scriba disertus
Clausit: & huc inquit, non est sine lumine Solis
Regina intrare, & celeberrima templa subire.

INTERPRETATIO.

CONCINNE ac eleganter hoc libro versibus tanquam penicillo depicta est forma primùm ipsa & tanquam facies *Veri siue morum ciuitatis* vniuersæ: deinde partes eius singulæ, portus, riuuli viginri, portæ quinque, ac viæ totidem, domicilia, valles, antra, arces geminæ inferior & superior, & si quid præterea vrbem & natura & situ & descriptione ædificiorum & pulchritudine, imprimis nobilem reddit.

Ac portus quidem, regioque vrbi vicina est quasi locus homini circumfusus, in quo res illæ sunt, quæ sensu aliquo percipiuntur. Viginti riuuli sunt voluptates quæ actiones virtutum ac vitiorum comitantur. Ipsi verò sensus portæ sunt vrbis: viæ actiones virtutum & vitiorum: domicilia virtutes incolunt: vitia in vallibus quasi lustris, & ganeis delitescunt. Antra significationem habent appetitus. Arx inferior felicitatis morum siue politicæ regio est: superior autem sedes felicitatis quietæ & contemplantis. In eaque arce flamma depingitur, quæ specie pyramidis inter quinque templa erumpit. Cumque latera eius quinque sint, quodlibet eorum ad vnam de quinque portis ac viis directum est: flamma verò illa imago est mentis inflammatæ studio veritatis. Templa sunt ædes dicatæ virtutibus mentis, Scientiæ, Arti, Prudentiæ, Intelligentiæ, Sapientiæ. Cetera eiusdem modi planiora fient in ipso quasi cursu interpretationis, vt de sensibus internis, sensu communi, vi imaginandi & memoria: item de principiis, electione, consilio, voluntate, & si quid præterea requiritur ad cognitionem virtutum, vitiorum, & Beatitudinis.

Quoniam autem prima virtutum ac vitiorum animi, siue moralium descriptio est, de his principio quædam paucis adnotare visum est. Virtuti sua cuique domus depicta est in viis quinque directis illis, altis, luminosis, quæ conducunt à portis ad medium ipsum, & quasi vmbilicum & arcem ciuitatis. Vitiorum autem receptacula sunt in vallibus illis quinque posita, quasi tetris tenebris, crassaque caligine oppletæ voragines. Quas inter valles cum viæ & regiones virtutum interiectæ sint, videre licet quemadmodum virtutis cuiusque palatio vitiorum domicilia vtrinque opposita sint. Omnium autem virtutum vitiorumque tecta ex materia tali, eaque forma pictor imitatus est, cumque statuis, tabellis, topiariis, sigillis monstrosis, hortis, stirpibus, scaturiginib. fontium, animalibus, aliisque ornamentis omnibus, quæ singularum virtutum & vitiorum domiciliis visa sunt maximè conuenire.

In talem igitur tot bonis adfluentem ciuitatem, poeta commentus est Reginam proficisci duabus tantùm de puellarum suarum cœtu adsumtis: se autem quoque ipsum veri videndi studio inflammatum prosequi. Dux autem reginæ & quasi mystagogus Aristoteles, cum quo dierum triginta quasi lustratione Regina primùm vias ciuitatis omnes,

omniáque



A. Quadrigæ Solis, & hinc inde horæ anni ſiue partes I V. qua effigie notatur hæc porta eſſe videndi.
B. Hiems
C. Auctumnus
D. Æſtas
E. Ver cum corolla florea.



A. Ver siue annus vernus in hyperthyro portæ odoratus.
B. Chloris dea copiam florum offerens.
C. Fauonius siue Zephyrus etiam ipse flores præbens.



A. Ceres & Bacchus epulantes in faſtigio portæ guſtatus.
B. Auctumnus offerens poma ſiue auctumnitatem.
C. Pomona Dea etiam ipſa cum munere ſuo.



A. Porta contactus siue tangendi, operta hederis, quibus nomen ipsum ab herendo & tangendo. In hyperthyro autem Mars & Venus irretiti à Vulcano.



A. Apollo habitu paſtoritio, cithara canens in hyperthyro portæ aheneæ circumq́. eum
Muſæ cum ſuo quæq. inſtrumento, Qua effigie declaratur eſſe hæc porta audiendi.

virtutum ac vitiorum domicilia contemplatur. Deinde in priorem, siue morum ac politicæ Beatitudinis arcem ascendit. Est autem quasi puluinus siue moles tres habens gradus,& marmore candido exaggeratus. Postremò in summam siue contemplationis ac veritatis peruenit arcem, in cuius vertice illa mentis ad veri cognitionem excitatæ flamma est,de qua paulo antè commemorauimus.

Pro licentia verò poetis concessa, effingit auctor se in horto castelli Riuolij amœnissimo, primo die Nouembris, Solis tactu leniter tepefaciente,& *liquidissima*,vt Lucretius loquitur *cæli tempestate*, sub citri arbore, ad opacandum locum patulis diffusa ramis, obdormiuisse. Tum visam sibi in somnis secundum quietem Reginam, cum duabus de familia puellis adesse, atque his eum verbis cœpisse affari.

IAM PROCVL OCTIPEDIS, &c.

Inducitur enim regina exordium orationis suæ, capiens à mensis Nouembris descriptione poëtica. Nam ait. Iam solis radio inaurari caniciem Chironis centauri senis, qui à mathematicis vsurpatur sagittarius, poet. vero Chironem appellant, vt illi in descriptionibus XII. signorum ad catalecta Virgilij additis. Alij alio nomine adfici voluerūt, vt Sositheus apud Iulium Hyginum, C. Cæsius Bassus in Arati Phænomena. Iunius Columella lib. x. Ausonius in signis cælestibus. Chiron igitur, siue Crotus ille, siue Sagittarius de orbis signiferi, signis duodecim vnum est, per quod meare sol dicitur mense Nouembri.

Deinde Regina subiungit ad exemplum Chironis, qui solis claritate perfusus iuuenescere videtur, auctorem quoque huiusce operis iam corpore ingrauescente, mente animi tamen magis efflorescere. Non oportere igitur se ignauiæ dare, sed acrius incumbendum esse ad virtutem & Beatitudinem, ad quam ipsa nunc itinere breui & quasi compendiario proficiscitur.

SIC PHOEBVS IN AVSTRVM.

Comparatio à conuersione solis: Namque vt Solis ad brumale signum recessu, hiems nobis existit, contraque æstas iis, qui ad Austrum: sic ætate ingrauescente corpus affligitur & infirmatur, sed alia ex parte mens vegetatur ac iuuenescit. Cuius rei causam explanauit copiosè Aristoteles problemate IV. partis XXX. Neque inelegans illud Valerij dictum est cap. VII. lib. IIX. *Senescentibus membris eruditorum, intus animos industriæ beneficio, florem iuuentæ retinere.*

HIS TANTVM COMITATA DVABVS.

Duas Reginæ comites adiunxit decoris causa. Indecorum enim matronis, ne dicam reginis, sine vllo comitatu proficisci: vnde illud Homericum Odysseæ lib. primo, de Penelope.

οὐκ οἴη, ἅμα τῇγε ϰ̀ ἀμφίπολοι δύ' ἕποντο

Non sola, ancillæ huic geminæ sed ponè sequentes.

Sic apud Iustinum lib. XIV. Olympias Regina, *duabus ancillis innixa.*

GEMINIS CIRCVMFLVA STELLIS.

Lunæ Reginam ipsam similem fecit. Est enim Luna *siderum regina*, vt apud Horatium in carmine sæculari, & *astrorum decus*, vt apud Virgilium lib. IX. Æneid. & *siderum mater*, vt Apuleij Milesiis lib. XI. Eademque Æschylo πρέσβιστον ἄστρων, νυκτὸς ὀφθαλμός, *honoratissima stellarum, noctis ocellus.* Comites autem Reginæ puellas cum stellis Lunæ vicinis comparauit.

CREPERÆ TAMEN ÆMVLA LVCI.

Similitudine auctor, & Reginæ præcellentiam, & statum suæ mentis expressit. Nam post solem ipsum & cælestia, flammæ splendor maximus est: cui Reginæ mentem purissimam, & luce adfluentem sua, per similem esse ait: se autem adhesisse comitem, quasi flamæ vmbram, quæ in omni vmbrarum genere tenuissima est.

ANIMI ALTERNANTIBVS ALIS.

Sic Plato in Phædro dixit ψυχὴν ἐπτερωμένην μετεωροπολεῖν *Animum pennis aptum permeare cæli regiones.*

VELVTI CVM DEVIVS OLIM.

Alia comparatio planissimè conueniens. Omnia enim similia: diuina luce nihil vsquam rerum, aut certius est, aut clarius: humanæ autem rationis lumen paruum & incertum est. Neque enim fit semper vt ratio imperet, adpetitus obtemperet, parsque inferior animi inlustretur à superiore. Vitam vero in terris nocti persimilem esse planum est. Hinc illud poetæ Lucani lib. IX. qui Pompeium mortuum reapse cognouisse ait.

quanta sub nocte iaceret
Nostra dies

SIC RATIO HVMANA EST.

Ratio humana instar lunæ. Itaque mentem Aurel. Cassiodor. cap. I. lib. de Anima, dictam esse ait quasi μήνην, id est *Lunam, quia varia vicissitudine commutatur &c.*

CVIVS EGO HANC VRBEM.

Iam quasi verbis Reginæ, ingreditur in descriptionem ciuitatis Veri, obseruatis diligenter omnibus adiunctis, quæ vir scientissimus Aristoteles cap. XI. lib. VII. de Republ. necessaria esse putauit ad positionem vrbis idoneam, eiusque frequentationem.

QVINQVE PATET PORTIS.

Quinque portis notati quinque sensus externi. Per has enim quasi

portas omnium rerum ſpecies ad mentem fluunt. Itaque inquit M. Tullius lib. I. Tuſculanarum quæſtionum, *vt non ſolum phyſici docent, verum etiam medici, qui iſta aperta & patefacta viderunt, viæ quaſi quædam ſunt ad oculos, ad aures, ad nares, à ſede animi perforatæ.* Pauloque poſt eas partes dixit eſſe *quaſi feneſtras animi*: eaque de re Lactantius Firmianus cap. IIX. de opificio Dei Lucretius lib. III.

HARVM QVÆ PRIMA.

Prima videndi porta eſt, in qua pyropus, qui vt Ouidius inquit, *flammas imitatur*: eaque gemma denotatur ſplendor oculorum & claritas. De qua ſcientiſſimè Ariſtoteles lib. de Senſu & ſenſili, in eumque locum Auerrois in ſua paraphraſi, oculis *proprium & ſuum ait eſſe lumen*. In eadem porta effigies Apollinis: Apollo enim Sol eſt, cuius radio perfuſæ res, oculis cernuntur. Ebur vero candidum, & ebenum nigrum ſignificationem habet candidæ partis in oculo, & pupillæ, quæ nigra eſt.

QVÆ SERTIS FRAGRANS.

Odoratus porta effigiem habet Choridis Deæ florum, & Fauonij venti, cuius aura flores è terræ ſinu elicit. Flores autem & corollæ grati odoris.

TERTIA POST FLAVAM CEREREM.

Guſtatus hæc porta eſt, in qua depicti Liber pater, & Ceres, quibus Copia dea Fortunæ ancilla, pleno cornu adponit omnis generis auctumnitatem.

QVARTA VIRENS HEDERA.

Porta contactus, in qua tangendi vis expreſſa columnis hedera implicatis, & complexu Martis ac Veneris. De implicatione autem hederarum Plinius cap. XXXIV. lib. XVI. Catullus epithalamio Manlij. Horatius in Epodis ode XV.

TVM STRIDET AHENO CARDINE QVINCTA.

Quinta eſt audiendi porta, eáque ahenea. Aeris enim materies tinnitibus & ſonis aures complet facilè & iucundè. Hinc poëtis æs *argutum tinnulum, ſonorum*, &c. per quam Regina in ciuitatem Veri, ſiue morum ingreſſura eſt, vt-pote portam diſciplinæ, & menti ceteris omnibus propinquiorem. Sermo enim eſt effector diſciplinæ. Is autem neque oculis, neque vllo alio ſenſu accipitur, ſed auribus tantum, vt planiſſimè demonſtrauit Ariſtoteles lib. de Senſu & ſenſili. Veraq. Plutarchi vox. τῇ ἀρετῇ μία λαβὴ τὰ ὦτα. *Virtus vnam habet anſam, aures.* Et Apuleij. *Per aures homo prudentiam ſapientiamque diſcit.*

Apte igitur conuenientérque apud hanc portam Ariſtoteles Reginæ ptimum occurriſſe fingitur, quæ cum, die in aliarum portarum ſpectaculis conſumpto, hac porta cum, ſole obeunte intrare vellet, demōſtrat ei Philoſophus hoc niſi clara luce, neutiquam licere, eoq; dicto claudit.

DIES SECVNDVS QVO DIE IN VERI CIVITATEM INGRESSVS IPSIVSQVE CIVITATIS QVÆDAM GENERATIM descriptio est.

IAm roseis stellas digitis Aurora fugabat,
Cum redit ad portam, quæ cardine stridet aheno
Regina. Occurrit qui vespere clauserat, idem
Magnus Aristoteles. Nunc, inquit, denique fas est
Regina intrare huc tibi: nec te dignior vlla
Intulit ante pedem, meus à quo tempore primum
Condidit hanc vrbem stilus, & mens conscia VERI,
Quàm bene docta manus, venturi & præscia quondam,
Zeuxidis expressit nuribus te excellere castis,
Effigiemq. tuam sapiens in sede locauit,
Atria vbi Domina, Veneris quæ temperat æstus:
Verùm ades, & memori mea pectore dicta repone,
Dum moneo, tibi quæ nostram visenda per vrbem.
Tota tripartita est, triplici & regione viarum.
Adspice vt aëria pars hæc in culmine rupis
Fulgeat: vt cliuo imposita huic, & collibus istis
Altera, de summa lucem regione fluentem
Accipiat: tum tertia dehinc in vallibus imis
Abdita caligat, pigris inamabilis auris.
Partibus his tria respondent variantia regna,
In quibus humanæ peraguntur tempora vitæ.
Primùm, vbi sceptra manu SAPIENTIA *dia capessit,*
Natio quam circum est, speculatrix callida VERI:
Alterum, vbi est sollers PRVDENTIA *rebus agendis,*
Quiq. præesse aliis, aut iussa capessere docti:
Postrema solium fallax regione locauit,
Rebus in humanis Siren, hera blanda, VOLVPTAS,
Agmina quam cingunt sacris operantia ventris
Et Veneris, gumiæ, nebulones, Alcinoique.
Adspice præterea bis deni compita riui
Quadrua vti lambunt vrbis, sed dispare multum

Ingenio

Ingenio laticum. Bis quinis flumine dulci
Alueolus scatit & nitidis argenteus undis,
Ast totidem tetro adspectu, & liuentibus vndis,
Et malè quas cautus qui pertentauerit olim,
Postmodo ei triste os sensu torquebit amaror.
Parte alia viden' vt vapidis in vallibus infra
Nubila tempestas semper? neq. Cynthius vnquam
Has penetrat sedes radiis, non flamine purgant
Threicij Boreæ, sed turpes semper olenti
Illatáque iacent mersæ caligine noctis?
Plera tamen pars huc properant, certantq. priores
Intro ferre pedem, vitam quia posse beatam
Viuere ibi sperant: huc primus & vltimus ordo
Tendit, in hac magni adspirant confinia reges.
His aduersa viden' fulgentibus atria tectis
Colle in quæque suo? Pandens se hic largior æther
Omnia circum auris puris, & lumine vestit
Purpureo. Tamen has refugit pars plurima sedes,
Inlustresque odêre vias, quibus itur in arcem
Rupis marmoreæ, fulgent vbi lucida quinque
Templa, micat verò sacra inter tecta, perenni
Lumine flama, vigens media regione. Sed illa
Ætheriis modo recta plagis adsurgit, eandem
Sæpe etiam inclinant variantes flamine venti,
Nutantemq. procul rapiunt de tramite recti.
Mentis ea humanæ effigies. Adfectibus illa
Lenibus ad certos fines pertendit honesti:
Aut rapidis fertur, varioq. errore viarum
Æstuat, & falsa sperans sub imagine portum,
Ad breuia & syrteis, latebroso in gurgite vitæ,
Frangit stulta ratem. Sed cui PRVDENTIA *lumen*
Præfert dia suum, quanquam diuersa viarum
Offert se facies, cautus tamen eligit vnam,
Cuius iter summæ pertendit in atria sedis,
Finis vbi, & meta est vitæ suprema beatæ,
Atria plena bonis, quæ nec fortuna, nec vlla
Vis auferre potest, lapsus neq. temporis vnquam
Perdere: quin animus qui possidet illa beatus,
Nec sperare potest meliora, aut pluribus vnquam
Adfluere, & præ sorte sua, nil cetera curat.
Arques vti sollers, ad signum destinat ictus,

Non aliò flectitue oculos, aut plura minatur.
Icere nam medium laus est: temeraria in auras
Spargere tela manu, facilè ipsa ignauia posßit,
Hæc sedes itaq. est lumen, dux, meta viarum,
Sola potest ciues, gentes, vrbesq. beare,
Nec tamen huc fas est nullo discrimine cuiuis
Scandere, & in vita summa regione beata
Sistere se. Nam scire viam quæ ducit in arcem
Paruum est, turbida si mens est, nec rebus honestis
Apta satis fungi, quia vel natura vel vsus
Abnuat. Vrbe itaq. hac nostra procul esse iubemus
Ætatem, ceu vere nouo quæ florida gestit
Ludere, nugari, contemnere seria, regnum
Cæca VOLVPTATIS, *rebus præferre gerendis*
Nec curat domitare armis rationis, vt hostes,
Adfectus animi, malè responsantis honesto,
Spernentisq. decus, quo prænitet inclyta VIRTVS.
Est Crœsi qui cæcus opes, iustósue triumphos
ROMA *tuos: validas est sano in corpore vires,*
Aut oris speciem fugitiuam, aut illicis auram
Formæ, qui male, sanus amat, metamq. bonorum
Æstimat, inque via, velut ipsa in sede quiescit.
Vallibus est imis qui degener incubat, illic
Fœda VOLVPTATIS *relegens vestigia: vulgus*
Hæc fatuum, hæc proceres, hæc magnos formula reges,
Excepto sapiente tenet. Sed plura profari
Iam vetat hora: meus nam Sol decliuis in æquor
Lumina subducit, summi quæ Solis imago
Prauia ni fuerit menti, sociatáq. nostræ,
Cæspitat, & gemina languet caligine noctis.
Sic ait, & sacro finem dedit ore loquendi
Diuus Aristoteles, speciosáq. limina clausit.

INTERPRETATIO.

IAM ROSEIS STELLAS DIGITIS.

HVIVSCE diei principio solis ortus poeticè depingitur, & Aristoteles per aheneam, siue audiēdi portam ex veri ciuitate prodit, ac Reginam eiusque comitatum excipit. Neque enim alia quàm ahenea illa siue audiendi porta in Veri ciuitatem regina discendi cupida introire potuisset, cum, vt die antegresso intellectum est, auditus sit proprius cognitionis sensus ac disciplinæ.

Sed principio statim dubitatio existit, quo pacto Reginam Aristoteles non prius visam ita facile agnouerit? Scire igitur operæpretium est, ita commentum esse auctorem, quasi reginæ imaginem Zeuxis nō solum pingendi, verum etiam diuinandi peritia excellens, iam olim viuente adhuc Aristotele, in ipsa Veri ciuitate, in atrio Temperantiæ tanquam castitatis specimē penicillo suo expresserit. Præterea mortuis diuinandi peritiam attribuunt poetæ, vnde Homeri tota νεκυία siue mortuorū diuinatio in Odyssea. Itaque si omnibus vita functis verandi siue diuinandi facultas concessa est, multò minus ea deesse potest sapientiæ totius principi Aristoteli. Denique per somnij speciem hæc peregrinatio tota effingitur: somniorum autem licentia & libertas quanta sit, omnes sciunt, eáque D. Hieronymus olim defensione. lib. 1. Apologiæ aduersus Rufinum, solertissimè vsus est.

In Veri ergo ciuitatem Regina tanquam Xenagogo siue hospitum duce Aristotele ingreditur. Atque is principio statim demonstrare incipit, quemadmodum tota ciuitas veritatis, tributa sit in partes treis. Quarum prima excelsissima rupes, quasi ἀκροπόλεως siue summæ arcis in ea locum obtinens: altera puluinus, siue moles plana, in quam gradibus aliquammultis adscenditur, ex latis ac luminosis virtutum viis, cuique moli, rupes illa imposita est: tertia vero infima, valles quinque habens, crassis circumfusas & occultatas tenebris. Siue, summa ciuitatis pars, rupem habet excelsam, in eaque templa virtutum mentis siue intelligentiæ: media planiciem altam vitæ politicæ, & v. in eam vias latas siue regias virtutum moralium: tertia & infima est vitiorum. Harum autem ciuitatis partium similitudine, triplex vitæ nostræ genus declarari ostendit, vt iam olim ab eo positum fuit c. v. lib. 1. ad Nicom. Summa enim ciuitatis pars quasi vita est philosophica, in contemplatione rerum & veri inuestigandi studio posita: altera pars, nempe media, imago est vitæ politicæ, cuius laus omnis in actione consistit: tertia verò infima pars, speciem habet vitæ voluptariæ, mollis, delicatæ, ab Epicuri & M. Apicij disciplina non abhorrentis. Tribus autem his viuendi modis, homines aut imperare ait, aut seruire, intelligens de ratione & adpetitu. Namque in philosophantium animis & politicorum, adpetitus tanquam seruulus, rationi ceu reginæ & dominæ parere cogitur: voluptariorum autem hominum ratio, quasi ancillula miserrimam adpetitui seruit seruitutem. De triuio autem hoc vitæ, philosophus loco anted. Dio Romanus orat. iv. de regno. Plutarch. lib. de instit. puer. D. Thomas ii. ii. Quæst. clxxix. Artic. ii.

Adspice prætere a.

Voluptates ac dolores virtutum ac vitiorum comites, notati ait riuulis xx. voluptates riuulis decem dulcibus & limpidis: dolores aliis totidem turbidis & amaris. De hoc voluptatum & dolorum comitatu infra disserendi locus die xxv.



A. Ciuitas VERI ſiue MORVM.
B. Quinq. vrbis huiuſce portæ ſignificationem habentes quinq. ſenſuum exteriorum.
C. Tres ſenſus interni. Nempe ſenſus communis, Vis imaginandi, Memoria.
D. Valles in quib. atria vitiorum.



E. Palatia virtutum moralium, per eaq. transitus in arcem & templa virtutum mentis.

F. Tria genera vitæ humanæ. Voluptarium, Actuosum siue Politicum, & contemplationis siue philosophicum.

G. Viginti riuuli, quorum decem, habent significationem voluptatum: decem alij dolorum.

PARTE ALIA VIDEN'.

Ingreditur nunc Aristoteles, Reginæ illas quinque plenas nebularum & caliginis in parte ciuitatis infima demonstrare valles, in quibus sunt domicilia vitiorum. In has autem valles decem riuuli, quinq; dulces, totidemque amari; illi voluptates, hi dolores comitātes viriis. Decem hi riuuli ex radice rupis ita influunt, vt ibidē stagnantes nebulam excitent, qua circumfusæ valles inobscurantur: decem verò alij, ex vtroque regiarum viarum latere, viarum scilicet, in quibus palatia virtutum. Horum item quinq. amari, totidem dulces, illi dolores, hi voluptates comites virtutum. Adiungit deinde Aristoteles, vulgus imperitorum caligine illa nihil deterritum, certatim properare per semitas & ponticulos qui laterales ac transuersi conducunt in valles. Nimirum hi vt Plautinus ille, *Non prorsus, verùm ex transuerso cedunt, quasi cancer solet:* Vias autem illas directas, excelsas, luminosas, quibus ad virtutum palatia peruenitur, à tam paucis ait frequentari, vt tanquam regiones incultæ desertæque ab omnibus, herba vestiri & siluescere videanrur. Atque hæ tam claræ & illustres viæ domiciliis virtutum distinctæ, recta conducunt ad celsissimam illam rupem, & quasi vrbis totius arcem munitissimam, quæ templis quinque ornata, speciem ac similitudinem gerit vitæ in veritatis cognitione positæ, quæ cumulus & consummatio est totius beatitudinis. Hæc igitur nunc ita summatim Aristoteles: lucem verò in hisce viis excelsis & tanquam regiis, rectam esse rationem, siue prudentiam virtutibus prælucentem: nebularum in vallibus obscuritate intelligi, obstruentem virtutis luminibus adpetitum: riuulis comites virtutum dolores ac voluptates declarari, ex his quæ infra dicturi sumus patebit.

PERENNI LVMINE FLAMA.

Adpositè verò, flamæ perennis specie, mēs ipsa intelligi potest. Nam vt præclarè quondam ipse Aristoteles dixit cap. x. lib. III. de arte dicendi. ὅτι νοῦν ὁ θεὸς φῶς ἀνῆψεν ἐν τῇ ψυχῇ *mentem Deus ipse ceu animi nostri lumen accendit.* Neque dissimili ratione Virgilius in VI. Æneidis mentem vocauit. *Aurai simplicis ignem.*

Et Prudentius agens de mente, in Hamartigeneia, inquit,

Ignitum quoniam Deus indidit olli
Ingenium

ÆTHERIIS MODO RECTA PLAGIS.

Ostendit Reginæ iam Aristoteles duo esse, principia, de quibus omnes actiones humanæ fluunt, mentem & adpetitum. Qua de re copiosè Aristoteles iam olim disputauit cap. II. lib. VI. ad Nicom. cap. x. lib. III. de anima.

Sed sæpe ratio siue mens, adpetitus quasi nube inobscuratur: vnde rietas per magna existit in electione finium. His igitur auctoris versi-

culis paucis, plane lectis & intellectis, patebit generale illud principium eis contineri, quod sæpissime vsurpauit Aristoteles iam olim, vt principio lib.I.ad Nicom. c. I. lib. III. Top.cap.VI.lib.I.de arte dic.cap. I.lib.I.de Repub.omnia nempe ad bonum aliquod referri. Quod quidem etiam L.Seneca disputauit epist.CXIX.& Psellus introductione sua in modos philosophiæ: nihil fieri sine boni alicuius electione,aut veri, aut verisimilis.Boni enim duplex ratio est,nam aut verũ est, aut verisimile. Verum bonum,aut supremum siue perfectissimum est,nimirum beatitudo:aut interiectum, vt virtus,valetudo,pecunia. Bonum verisimile interdum est vi naturáque sua bonum, sæpe vero etiam malum, sed in specie aliqua boni delitescens,vt iam olim docuit Aristoteles lib. II.de moribus ad Eudemum, cap. III. lib. VII. de Repub. Mentis igitur acie occæcata, soliti homines aut verisimilia bona pro veris amplecti, vt vitium pro virtute,cap.III.lib.I.de Rep.aut interiecta pro summo, vt honores,aut pecuniam, aut valetudinem pro vltimo vitæ præmio & fine.

Sed cvi prvdentia lvmen.

Prudens siue is cuius mens occæcata non est, sed qui adpetitum habet rationi obedientem, is neque bona verisimilia pro veris consectatur, neque interiecta pro summo, sed via breui & quasi compendiaria nititur ad beatitudinem, vel actuosam siue politicam, vel quietam & cognitionis: & acquiescit vel in media parte huiusce vrbis regione, videlicet illa quæ inter valles quinque plenas caliginis, arcemque summam interiecta, similitudinem habet vitæ positæ in actione: vel progrediens etiam vlterius in arcem vltimam siue supremam ascendit, quæ speciem gerit vitæ contemplantis, atq; hic proprie nominatur sapiens.

Arqves vti sollers.

Quemadmodum qui collineare nititur ad scopum, à rebus quæ scopo siue signo vicinæ sunt, oculos auertit, vt signum ipsum siue medium ferire possit: sic prudens aut sapiens ab omni verisimilis & interiecti boni specie, refert se cogitatione ad beatitudinem actionis aut veritatis. Quam Aristoteles ipse comparationem attigit c.II.lib.I.ad Nicom. & cap. VI.lib.II.Plutarchus item libro de virtute morali.

Hæc sedes itaqve.

Pergit laudare ac depingere summum bonum, idque multis nominibus insigne facit. Nam & lumen esse ait, & ducem, & metam viarum omnium vitæ humanæ, eoque beatos fieri homines priuatos siue singulares, & familias, & ciuitates. Singulorum enim siue priuatorum vita beata posita est in cognitione veritatis: familiæ vero ciuitatis & imperij beatitudo consistit in actione, c. VII. lib.X. ad Nicom. His ita positis adiungit Aristoteles de conditione animorum, qui magis apti sint, & viis quasi compendiariis minimeque obscuris ad cognitionem adep-

tionemque illius extremi vitæ humanæ præmij.

NEC TAMEN HANC FAS EST.

Notis quibusdam planum facit, qui sint maximè idonei auditores disciplinæ moralis. Vna est nota, si adpetitus eorum, rationi non difficillimè obtemperet. Altera, si cum præcepta morum, siue bene bearéque viuendi acceperint, ea experiri porro pergant, & conferre ad suam vitæque communis felicitatem, neque sint officiorum expertes: finis enim huiusce de moribus disciplinæ non est præceptorum cognitio, sed vsus siue actio, vt est c.III.lib.I.c.II.lib.II.ad Nicom. Tertia auditoris idonei nota est, ætas paulò maturior. Ratio autem huiusce præcepti non vna est. Et vt à iuuene ordiar, hic idoneus non est, quia in Ethicis & Politicis opus experientia est, & vsu rerum. Is verò sine temporis diututnitate acquiri nequit, quia rerũ singularum obseruatione existit c.I.lib.I.Sapient.maioris. Iuueni autem vitæ necdum diuturnitas aliqua. Eadem causa & ratio, cur iuuenis aut puer mathematicorum subtiles rationes scire possit: physicas, aut eas quæ post physica philosophias, non item, c.IIX. lib. VI. ad Nicom. Eaque de re dicendi locus erit die vicesimo octauo.

Altera deinde ratio, quia non curat iuuenis perturbationes, & voluptates virtuti repugnantes frenare, aut dolores perpeti actionum, quibus in possessionem virtutis eundum est. Itaque in huiusce Veri siue morum ciuitatis parte infima, vbi vitiorum valles ac domicilia sunt, tanquam in Calypsonis aut Circæ laribulis indormiens, aut quasi Sirenarum scopulis adherescens, non laborat peruenire in mediam ciuitatis huiusce regionem, vbi sedes Beatitudinis Politicæ: aut supremam, siue ἀκρόπολιν, & quasi arcem, vbi regnum Sapientiæ & Beatitudinis, quæ ex contemplatione. Perturbationes nempe animi, & turpes voluptates, omnem ad illas regiones aditum intercludunt, sapientérque Tullius, *Voluptates*, inquit, *blãdissimæ dominæ, sæpe maiores partes animi, à virtute detorquent*. Idemque. *Voluptate*, inquit, *dominante, maximas virtutes iacere necesse est*. Veraque est tabella quam Cleanthes, vt idem ait, *sane commodè verbis pingere solebat. Iubebat eos, qui audiebant, secum ipsos cogitare, pictam in tabella Voluptatem, pulcherrimo vestitu, & ornatu regali, in solio sedentem, præsto esse virtutes, vt ancillulas, quæ nihil aliud agerent, nullum suum officium ducerêt, nisi vt Voluptati ministrarent* &c. De qua tabella etiam D. Augustin. c.XX.lib.V.de ciuit. Dei. Hinc & conquestio illa Virtutis, in carmine Mnaseæ Sicyonij.

Α᾽ δ᾽ ἐγὼ ἁ τλάμων ἀρετὰ, παρὰ τῇ δὲ κάθημαι
Ἡδονῇ, αἰσχίστως κειραμένη πλοκάμους.
Ecce voluptati vicina, miserrima virtus
Hic sedeo, adtonsis sic quasi serua, comis.

Quos versus longè aliorsum, & contra Poëtæ mentem pertraxit Athenæus lib.I.

In his ergo qui ætate iuuenes, duplex quàm dixi causa est cur huiusce

iusce doctrinæ auditores parum idonei sint: aliæ in his qui non ætate sed moribus iuuenes, siue qui, tametsi ætate matura, non minus tamen quàm iuuenes perturbationum procellis aguntur, potius quàm iudicij & consilij clauo reguntur, vt incontinentes, aut quia officiorum expertes. Hi auditores nec idonei sunt, quia perturbatio aut ab officiis auersio, eos à Beatitudinis etiam Politicæ regno excludit.

Duo itaque iuuenum genera, vnum ætate, alterum moribus animi: vtrisque hoc philosophi auditorium clausum est.

Neque tamen sic clausum illud iuuentuti est, vt prorsus non admittatur ad vllam huiusmodi præceptorum auditionem: immo verò etiam iuuenes, etiam pueri vocantur, vt virtutum præceptis audiendis perturbationes suas refrenare discant. Ergo etiam pueris Romæ scripta carmina de moribus olim, quale illud Appij Cæci, aut M. Catonis. Itaque duplex huiusce philosophiæ auditor idoneus est, vnus ad perfectionem, & politicam illam felicitatem: alter ad necessitatem & præparationẽ. Viri audiunt, vt auditio illa eis instrumentum sit Beatitudinis politicæ siue actuosæ, siue quo consequi possint Beatitudinem illam actuosam, & vt philosophi verbum est ἐυπραξίας c. IIX. lib. I. c. v. lib. v. ad Nicom. pueri & iuuenes, vt instrumento huic præparentur. Viris auditio illa tanquã vini in dolium purgatum diffusio: puero autem & iuueni, est animi tãquam dolij purgatio, siue *purè lauatio & inunctio* & odor, quo imbutum, vino deinde huic vtile sit. Ex quo discrimine auditorum elegans illa Horatij Poëtæ ad morum sapientiam discendam, cohortatio, epist. II. lib. I.

Nunc adbibe puro
Pectore verba puer, nunc te melioribus offer.
Quo semel est imbuta recens, seruabit odorem,
Testa diu.

Et illa Epicteti ad ingredientem philosophari, vox apud A. Gellium c. XIX. lib. XVII. Ἄνθρωπε ποῦ βάλλεις; Σκέψαι εἰ κεκάθαρται τὸ ἀγγεῖον. Ἐι γὰρ εἰς τὴν οἴησιν αὐτὰ βάλλεις, ἀπώλετο. ἢν σαπῇ, οὖρον, ἢ ὄξος γένοιτο ἄν, ἤ τι τούτων χεῖρον. *Homo, in cuiusmodi vas diffundis? vide an purgatum sit. Nam si in opinationem ea diffundis, perière, Si putruerint, lotium aut acetum fient, aut si quid deterius est.* Cum discrimine illo etiam *Persius accipiendus est Satyra* v. *cum ait.*

capite hinc iuuenésq. senésq.
Finem animo certum, miserisq. viatica canis.

Hæc itaque de huiusce philosophiæ auditione, quasi formula est, quæ tamen includere nõ videtur iuuenes, qui propter à natura insitam prudẽtiæ vim, ætate iuuenes, morib. animi senes sunt. Est nempe aliqua prudentia naturalis, quæ Aristoteli Δεινότης c. XIII. lib. VI. ad Nicom. Hæc sæpe tanta in animis innata est, vt ipsi prudentiæ virtuti gemina germana sit. Multique & inueniuntur hodie, & inuenti olim, ætatis flore, sed mẽtis quasi æstate & solstitio. Sic Tarchon ille apud Geographum lib. v. propter iudicij quasi vestibulo pœne ipso vitæ & limine, maturitatẽ, capite cano fuisse perhibetur adhuc infans, & vagiens in cunis. Canum finxere illum, quia vt Plauti verbum est. *Sapere oportet qui sunt capite*

candido. Ad hoc exemplum, vt Herenn. Philo refert, lib. de legat. ad Caium, Tiberius Cæſar etiam adoleſcentulus cum eſſet, dictus eſt, ὁ πρεσβύτης id eſt, *Senior*, δι' αἰδῶ τὴν περὶ τὴν ἀγχίνοιαν, *quod reuererentur homines ingenium eius, & prudentiæ vim.* Et apud Eunapium. Sophiſta Iulianus ἐν μειρακίῳ πρεσβύτης, *in adoleſcentulo, ſenior.* Et Macarius Monachus Ægyptius olim dictus παιδαριογέρων ſiue, *ſenilis puer*, vt eſt hiſtoriæ Lauſiacæ c. XVII. Nicoph. Calliſti Eccleſ. hiſtoriæ c. XIV. lib. IX. Sic etiam Manuel Comnenus Imp. apud Nicetam. ἐν μείρακι σώζων τὸν καταγηράσαντα νοῦν, *In adoleſcente, mentem gerens ſenilem.* Et Felix Aur. Caſſiodori amicus, præfat. lib. XI. *Senilis iuuenis.* Et Sapientiæ Salom. c. IV. antefertur *bonus puer & ſapiens, regi ſtulto & ſeni.* Et verò ſapienter Pindarus Olympiis Oda V. φύονται δὲ καὶ, inquit, νέοις ἐν ἀνδράσι πολιαὶ θαμὰ, καὶ παρὰ τὸν ἁλικίας ἐοικότα χρόνον. *Naſcuntur cani etiam in iuuenibus cito capilli, etiam ætatis ante ſolitum tempus.*

Vtraque igitur cauſa illa & ratio quam poſui ex Ariſtotele, cur puer aut iuuenis auditorio ſcientiæ moralis parum idoneus ſit, principio illo nititur, quod puer aut iuuenis finem εὐπραξίας & Beatitudinis Politicæ conſequi non poteſt. Nam qui nullo aut paruo rerum vſu eſt, non poteſt collineare ad hunc ſcopum. Puer aut iuuenis eiuſmodi eſt. Ergo &c. Item. Qui non curat perturbationes animi cohibere, non poteſt ferire hoc medium, aut adſequi finem. Puer aut iuuenis eiuſmodi eſt. Ergo &c.

Hinc argumentum quoque tertium vltro ſe offert. Qui perfectus ciuis non eſt, non fruitur hoc fine felicitatis politicæ ſiue actuoſæ, Puer aut iuuenis eiuſmodi eſt, c.I. lib. III. de Rep. c. IX. lib. I. ad Nicom. Puer itaque aut iuuenis &c.

Dixi, *puer aut iuuenis.* Sic enim & Philoſophus ipſe c. IIX. lib. VI. ad Nicom. dixit modo παῖς ſiue *puer*, modo νέος ſiue *iuuenis*, vt declararet ſe agere de auditore, qui aut puer, aut certè iuuenis, necdum ad vſum rationis perfectum adpropinquans.

EST CROESI QVI CÆCVS OPES.

Præclarè iam Ariſtoteles adiungit, quam longè diuertant mores ſapienti & vulgo imperitorum. Sapiens enim recta via contendit in arcem ipſam beatitudinis. Imperiti autem de via in ſemitam prorepunt, & vt Plautus loquitur, *inhiant miſeri quod nuſquam eſt.* Alij enim vt pauperes, pecuniam: alij vt ambitioſi, honores: alij vt deformes, pulcritudinem: alij vt infirmi, valetudinem: alij aliud vltimum vitæ ſuæ præmium ac finem ſtatuunt, neque intelligunt, aut lippa illa acie mentis ſuæ vident, hæc omnia nihil aliud eſſe, quam inſtrumenta veræ felicitatis, & ſummi boni, vt diſputauit Ariſtoteles cap. IV. & V. lib. I. ad Nicom. Itaque vt is amens videretur cui cum oculos paſcere liceret cuiuſdam ſtatuæ ſpectaculo tam adfabrè miróque artificio fictæ, quam illæ deorum imagines pulcherrimæ ſunt apud Ariſtotelem cap. III. lib. I. de Republ. tamen mallei ſpeciem citius

aut ſcalpelli contemplaretur: ſic iniquiſſimi ſunt illi rerum æſtimatores qui bona quæ in corpore, aut extra corpus caſu fortunaque proueniūt, quærentes, tanquam flexiones & deuerticula viarum, decrrant à regione ipſa vitæ beatæ.

VALLIBVS EST IMIS QVI DEGENER.

Quoniam hic error, & hæc imperitorum animis effuſa caligo eſt, vt veriſimilia pro veris, interiecta bona pro ſummo, ſiue beatitudine ac fine bonorum amplexentur: idcirco fieri ait, vt hæc Veri ciuitas frequentetur maximè in vallibus ac ſemitis vitiorum, in iiſque plurimi tanquam ad Sirenum ſcopulos adhereſcant, inque libidinis omniumque voluptatum cœno, tanquam ſues volutentur. Hæc aliaque plura, die ſequenti Reginam docebit Ariſtoteles. Nunc autem Sole obeunte finem dicendi facit, quia Sole iſto, ſupremi Solis ſiue diuinæ mentis quaſi imagine non lucente, ingenij ſui aciem heberati ait, tenebris geminatæ noctis, Solis nempe occaſu, & ignoratione veritatis Ethicæ, cuius cognitio pendet à Sole & ſenſu. Sed & triplicem facere noctem potuit. Quippe illas de quibus dixi, & præterea Chriſtianæ veritatis ignorationem, quæ nox ceteris longe grauior. De quo die tamen & nocte, ſuſpicione aliquid præcepiſſe, ad eumque Chriſtianæ gentis diem reſpexiſſe putant aliqui Ariſtotelem. Peruulgata enim eſt vox eius morientis, & in ipſo vitæ exitu ac ſupremo ſpiritu, cauſam totius naturæ complexu auguſtiorem, venerantis.

Sic igitur & huiuſce diei, & reliquorum in hac Veri ciuitate peregrinatio concluditur, quaſi Ariſtotele noctibus obmuteſcente, & quaſi linguas immolante numini Mercurij, qui ritus Græciæ olim: & perinde, vt ſi Pythagoræ ſeruet præceptum, vetantis de rebus Pythagoricis, hoc eſt, de rebus diuinis ac præclaris, verba fieri ſine lumine. Apud Iamblichum.

DIES TERTIVS, IN QVO DESCRIPTIO BEATITVDINIS POLITICÆ.

LVMINE iam terras, vndis elutus Eois
Spargebat croceo Titan, cum limina pandens
Vrbis Aristoteles, cæliq. in lucida templa
Suspicit, & Solem ore pio sic ritè precatur.
Cynthie cor cæli, lucis mare, viuida mundi
Mens ac temperies, nostræ tua lumina menti
Præfer, & hunc concede volens mihi Sancte laborem,
In geminas animus REGINAM est dücere sedes,
Regna beatæ vbi sunt semper florentia vitæ.
Harum est illa prior, quam limine possidet arcis
Dux hominum vitæ PRVDENTIA, vertice at ipso
Spectatrix residet sollers SAPIENTIA Veri.
Nunc itaq. hanc REGINA prius spectemus in arce
Quæ prior est, animus quam prudens calle viarum,
Quanquam multiplici, tamen occupat, & sibi quærit
Quà breuiore potest aditum regione: marini
Sicut regna Dei, properat qui visere quondam
Nauita, de fluuiis pelago miscentibus vndas
Vicina regione suas, hunc qui breuiore
Vortice torquetur, sibi sollers eligit: vtq.
Fonte suo riuus maior, maioráq. riuis
Flumina, maius item fluuiis est omnibus æquor,
Quod recipit cunctas, vllo neq. crescit aquarum
Agmine: sic VERI est RESPVBLICA, motus & actus
Continua minor est recti adsuetudine, & ipsam
Virtutum exsuperant longè, splendentia tecta:
Quæ tamen exoptanda minus votiuaque, summi
Quàm sedes excelsa boni, quo plenius vno, aut
Certius, aut numero nihil est perfectius omni,
Sufficiens sibi, nil externi aliunde requirens,
Nobile, semper ouans, & ab omni parte beatum.
Vnius hoc regis contingit munere nobis,
Vnus qui dare cuncta potest. (Cælestis imago

Illius in tali purissima munere splendet.
Tale bonum frustra magnæ conantur apisci
Corporeæ vires, leuis aut fortuna tenere
Sub dicione sua, & propruum sibi velle dicare:
Mente animi capitur, cuius possessio nullas
Temporis vna vices metuit, non frigora mortis
Aut senij, non fortunæ momenta superbæ.
Ætheria nam sede venit, terræq. futurus
Tempore non multo ciuis, sibi corpore paruo
Hospitium magnæ metatur originis hospes.
Illius auspiciis, ductuq. & lumine certam
Præmonstrante viam rectæ rationis, in arcem
Scandere fas ipsam, & sedis pia regna beatæ.
Hac viden' vt vitæ sedes REGINA *beatæ*
Trigeminis cælo adsurgit fundata columnis,
Dispare materia? Triplicis, sed dispare vultu
Ista boni facies, huius quo præmia regni
Omnia nituntur. Primam rutilantibus auro
Textam, purpureisq. leuem variare figuris
Adspice pennarum: fragilis dehinc altera testis
Pellucet conflata vitri: tum tertia longè
Præcellens aliis, solidóq. adamante columna
Structa, suo validè hanc fundamine sustinet arcem.
Præmia fortunæ quid sunt, nisi quolibet olim
Ventorum faciles impelli flamine plumæ,
Aut steriles leuiter qui ludunt aëre pappi?
Corporeæ dotes fragiles vt vitrea, robur
Forma valetudo, citò deficit: haud perit vllo
Tempore, fortunæ nulla inclinante fathiscit
Tempestate, bonum quod clusum pectoris imo
Vir prudens adyto generosi possidet. Ergo
Nec sedet instabili vitæ regione locatus
Vir bonus ac sapiens: neq. si Fortuna caduca est,
Corporis aut pereunt dotes, ego vincar inertem
Et fragilem vitæ male substruxisse beatæ
Ingenio sedem quia talis fabrica, qualem
Condicio recipit generis tam lubrica nostri.
Sola vices nescit, neq. fluctuat inclyta Virtus.
Vtq animus donec mortali est corpore clusus,
Impiger hoc vegetat, viresq. in rebus agendis
Sufficit assiduè: talis pulcherrima rerum

Virtus est animi custos: hunc armat honestis
Moribus, adfectusq. docet frenare rebelles
Prudente imperio, & rectæ rationis habena.
Corporis hæc eadem vires conseruat, honores
Auget, amicitias iungit, bene parta tuetur,
Diuitiásq. sibi, non se summittere nouit
Diuitiis. Animi constans & certa beati,
Sic est conditio, & sedes inmota, nec vllis
Exagitata malis, mea quam mens condidit, arce
Vrbis in hac summa, menti duo regna beatæ:
Sic tamen vt mortalis, in his quoq. iura tenere
Possit condicio, quam sola potentia cæli
Summouet, æternósq. vetat contingere honores.
Deniq. vti lentum quod crescit in æquore vimen
Coraly, mira specie lapidescit in auris
Et Solis radio, cum primùm viuere in vndis
Desiit, & iussum est Neptuni excedere regno:
Sic Ratio recta & Virtus vbi luce caducas
Contigerint dotes, cogunt durescere, & arcent
A molli leuitate animum, durósq. labores
Fortiter exanclare docent, & quicquid acerbum est,
Æqua mente pati, portumq. intrare quietum,
Illius ex pelagi scopulis, quam nomine VITAM
Mortales perhibent falsò. Nam vita recessu
Est vitalis in hoc, quem VIRTVS, RECTAQVE nobis
Ostendit RATIO: hanc vitam qui viuit abunde est
Diues, honoratus, sanus, speciosus, & omni
Nube animi demta cumulatus semper honestæ
Munere lætitiæ, & puris circumfluus auris.
Huc itaq. vt faciles, nulláq. ambage viarum
Sint aditus REGINA tibi, prius atria circum
Me duce virtutum, prima lustrabis in vrbe,
Lucentésque vias, ipsam quibus itur in arcem.
Præterea disces lateant cur vallibus imis
Squallentes vitij ganeæ, sub luce maligna,
Totáq. vti facies vrbis, sit mentis imago
Humanæ, quam vel RATIO ceu lumine spargit,
Vel nebulis occæcat inertem deuius error.
Partem animi summam RATIO tenet, aptáq. honestum
Votis expetere, atq. bonis meliora VOLVNTAS
Præferre: ast ima iuuenatur sede CVPIDO:

Cæca vel effundit quasi missas I'R A quadrigas
Carceribus, spumasq. ferox agit ore cruentas.
Sic & luce diem & tenebris metimur, Eous
Promit in orbe diem, paullo post Hesperus idem
Inuoluit tenebris cælum, rebusq. colores
Aufert omnimodos, cæca caligine noctis.
Plenius hæc Regina tibi tunc discere tempus,
Postera cum veniet tenebris Aurora fugatis:
Talia nam memorare nefas sine lumine Solis,
Qui nunc occiduo nitidum caput æquore mergit.

CYNTHIE COR CÆLI.

TERTIVS hic est in *Veri* ciuitate peregrinationis dies, cuius principio petit à Sole oriente lucis copiam Aristoteles, vt ea perfusus, tradere possit Reginæ viam, qua peruestigatur in *Veri* ciuitate, vtraque beatitudo, actionis vna, altera cognitionis. Ac primum, Aristoteles verbis depingere instituit mediam ciuitatis Veri partem, siue sedem politicæ beatitudinis, siue actuosæ, ad quam prælucet radius prudentiæ siue rectæ rationis actuosæ. Prudentiam autem ita *rectæ rationis* nomine adfici posse, iam olim ipse ostendit, principio libri VI. ad Nicom. Neque tamen idem prorsus est virtus prudentiæ, & ratio recta illa: sed subtilius hoc quidem discrimen, quàm vt in hac populariter descripta ciuitate locus ei esse videatur. In politicæ verò beatitudinis itinere lumen prudentiæ requiritur, tanquam ducis & magistræ omnium virtutis actionum. Quod scienter item declarauit Aristoteles c. XII. lib. VI. ad Nicom. Virtus enim boni alicuius finem eligit ac proponit. Fine autem illo tanquam signo proposito, reliquæ sunt prudentiæ partes, in peruestigandis viis ac rationibus, quibus ac boni propositi finem liceat peruenire. Itaque prudentiam Aristoteles meritò & iure, *mentis oculum* nominauit. Quamquam alij locum illum Aristotelis de solertia & calliditate, alij de ipsius mentis parte actuosa, sed non optimè intelligunt. Crito etiam ille, vnus de Pithagoræ discipulis in libro de prudentia & felicitate, Prudentiam affirmat *ducem ceterarum virtutum esse ac matrem*. Male autem loco illo Aristotelis c. XII. lib. VI. ἡ δ' ἕξις &c. scriptum est, pro, ἤδη ἕξις &c.

MARINI SICVT REGNA DEI.

Felicitas mari similis est: animus humanus nautæ properanti ad mare. Mediæ illæ siue interiectæ rationes, quibus ad beatitudinis aditum, & quasi portum via munitur, tanquam riuuli sunt, qui conducunt ad mare. Ac primum vita beata omnium rerum expetendarum quasi comprehensio quædam & summa est: vt mare omnium riuulorum ac flu-

minum recessus & collectio est. *Quis enim*, vt ille apud Plautum interrogat, *hic fluuius est, quem non recipiat mare?* Animus aurem beatitudinis adpetens, nautæ persimilis adspiranti ad mare, *qui si viam, nescit qua deueniat ad mare, amnem comitem quærit sibi*: sic prudentis animi partes sunt, quærere ac moliri auxilia & instrumenta vitæ beatæ, vt autem ille qui maris desiderio tenetur, sæpe de flumine ad flumẽ digreditur, donec ad illud peruenerit, quod recipitur, non alio flumine aliquo, sed ipso mari, vtque illud inuentum aliis omnibus riuulis anteponit: pari ratione prudentia & virtutes morales, corporis & fortunæ bonis anteponendæ sunt, vtpote in ipsam beatitudinem proximè tanquam mare bonorũ influentes. Vt autem mare ipsum fluuiis omnibus quos excipit sic beatitudo ipsa etiam prudentiæ, & virtutibus ceteris longè prior, & antiquior habenda est.

Qvo plenivs vno avt certivs.

Descriptio summi boni ex adiunctis, vt cum ait, nihil extra eius amplitudinem relictum esse, item beneficium esse largientis omnia Dei, atque ipsius largitoris quasi imaginem. Præterea non in fortunæ rora, non corporis viribus, aut specie, sed mente ipsa collocari, quæ sola immortalis corpore senescenre magis magisque inluminatur atque efflorescit, quia nihil terrenum habet aut concretum, sed è cælo ipso in corporis velum, ceu roris gutta in flores, defluit. Quod Aristoteles idem c. III. lib. II. de ortu animalium dixit, τὸν νοῦν μόνον θύραθεν ἐπεισιέναι, καὶ θεῖον εἶναι μόνον id est, *mentem solam ex materia non emergere, verùm extrinsecus eam superuenire, solamque in homine participem esse diuinitatis.* Cui non dissimilem Aristotelis sententiam exposuimus, etiam die antegresso ex c.x. lib. II. de arte dicendi.

Est igitur quidem, vt diximus, *vita beáta*, præmium diuinum & cæleste, siue vt Aristoteles ipse locutus est c. IX. lib. I. ad Nicom. θεόσδοτος. Sed tamen hæc ita diuidi solent, vltimum illud vitæ præmiũ vel acquiri studio industriáque mentis humanæ, vel nihil aliud esse, quàm profectum à Dei largitate beneficium, sine vlla corporis aut animi nostri contentione. De priore illo genere, nempe quod vsu & consuetudine procreatur, in hoc poemate auctori potissimum sermo est.

Hæc viden' vt.

Orationis suæ penicillo depingit sedem *Beatitudinis* politicæ, locatam in media ciuitate Veri, in mole illa siue puluino ex marmore. Quã sedem tribus columnis fulciri atque sustentari ait, ita vt columnæ illæ significationem habeant triplicis boni, spectantis ad vltimum bonum. Triplex autem illud bonorum genus, diuitiæ & honores, valetudo, prudentia. Diuitias & honores declarat species illa columnæ ex pennis inauratis ac purpureis contextæ: valetudinem refert columna vitrea: prudentiam verò columna ex adamante solido ac fulgenti formata. Omnia conuenientissimè. Nam & pecuniæ & gloriæ bonum pluma

leuius

leuius est,& valetudo quasi vitrea fracta,vel fragilis:sola prudentiæ columna vi nulla fortunæ labefactari potest,ceterísque columnis,vt valetudinis & pecuniæ conuulsis aut euersis, vnius tamen prudentiæ vi totum illud politicæ Beatitudinis ædificium sustentari potest.

NEC SEDET INSTABILI.

Ante occupatio est,occurrens dubitationi. Si enim pecunia & valetudo columnæ sunt beatitudinis,non sanè expetenda videtur plumea illa & vitrea felicitas.Sed occurrit sapienter, & docet Aristoteles, non depingi hoc sermone Dei beatitudinem, cuius pars nulla fortunæ telis exposita sit: sed illam quæ in homines cadere, & conuenire potest. Huius autem etsi habitus ac status ipse interior mutari non potest & conuelli à fortuna, tamen ei ornamenta quædam externa & opportunitates præclarè agendi eripiuntur interdum. Quocirca intelligi necesse est actione virtutis, homines eatenus beatos & bonis omnibus florentes fieri, quoad naturæ humanæ conditio capere potest illam felicitatem, vt disputauit etiam olim Aristoteles cap. x. lib. I. ad Nicomach.

VTQ. ANIMVS DONEC.

Pergit de triplici hoc genere boni explicare, atque ostendere quantum Prudentiæ splendor antistet valetudini & pecuniæ. Nam vt Prudentiæ radio virtutes, sic splendore virtutum pecuniam ac valetudinem inlustrari necesse est. Atque vt olim docuit Aristoteles c.XIII.lib. VI.ad Nicomach. sine prudentiæ luce, & quasi *oculo* nullam existere in animis propriè virtutem: sic nisi cum virtute socientur pecunia & valetudo, in bonis impropriè numerantur. Quod nunc pereleganti comparatione antè oculos idem proponit Aristoteles. Vt enim corpus, inquit, animi regentis ac moderantis auxilio viget ac viuit: sic Prudentia ceteræque virtutes,animum ipsum à contagione sensuum,&omni turpitudinis offensione tuentur,atque efficiunt vt homines diutius ac certius frui possint pecunia, valetudine,forma,gratia siue amicis,atque id genus aliis, quæ tandem volubilitate fortunæ aut lapsu temporum deflorescunt.

DENIQ. VTI LENTVM.

Declarat coralij similitudine ita esse vt dixit, nempe radiis Prudentiæ stabiliora & diuturniora fieri etiam bona corporis & fortunæ. Vt enim coralium tenerum & molle ipsa naturæ suæ conditione, tamen radiis Solis perfusum lapidescit:perinde pecunia, valetudo, & id genus alia,per se leuia, incerta, momentanea sunt,luce autem Prudentiæ, firma, certa,stabilia efficiuntur.De coralij lapidescentis ingenio,Dioscorides c. CXXXIX. lib. V. Ouidius lib. IV. Metamorph. Interpres Pindari ad Nemea, Oda VII.

Et arcent a molli levitate animum.

Aliam adiungit prudentiæ & virtutis laudem. Illa tanquam Achillis arma esse, quibus tecti & muniti animi, nullis fortunæ telis, nulla temporum permutatione, de sede sua, & statu dimoueantur. Hanc pharum esse, qua prælucente in vitæ infesto & ancipiti cursu, mentem quasi nauim adpellimus in portum vitæ beatæ, florentis ac felicis, omni malorum genere vacantis, omni bonorum copia circumfluentis.

Hvc itaqve vt faciles.

Virtutem ac Prudentiam esse dixit comitem ac ducem itineris recti ad summam felicitatem. Nūc Reginæ pollicetur, se die sequenti ostensurum, qua in parte ciuitatis, Prudentiæ illius & virtutum tecta inuenienda sint, & quemadmodum illis opposita sint domicilia vitiorum. Tecta enim virtutum esse in viis quinque directis ac luminosis, quæ à portis ciuitatis pertinent ad sedem Beatitudinis: vitiorum autem latibula esse in vallibus quinque illis depressis & caliginosis. Præterea duplicem esse in Veri ciuitate aërem, quorū ille purus, tenuis, luminosus: hic autem crassus & concretus. Sic autem esse duos animi nostri adpetitus, vnum expertem rationis, in parte animi inferiore, concupiscente, irascente: alterum vero compotē rationis, in parte superiore siue mēte, scilicet voluntatem siue βούλησιν, & consultationem, siue βούλευσιν. Nam rectè siue cum ratione adpetimus, vel sine deliberatione, vel deliberato. Cuius rei mentionem etiam fecit Aristoteles c. xi. lib. iii. de anima, & c. xiii. lib. i. ad Nicom. & planissimè D. Thomas partis i. Quæst. xxc. & xxci. Nemesius c. xxxiii. de natura hominis. Non dissimilis autem Virgilij ratio esse videtur in vi. Æneidis duplicem aërem effingentis, vnum Elysij, cum inquit,

Largior hic æther campos & lumine vestit
Purpureo

Alterum Tartari. *Stat ferrea turris ad auras.* De quibus auris planissimè Papinius lib. ii. Thebaidis.

vndique pigræ
Ire vetant nubes, & turbidus implicat aër.

Sic et lvce diem.

Pereleganter vtrumque animi adpetitum expressit, permutatione temporis, siue vt à Cēsorino in lib. de die natali dicitur, *diei ciuilis*, in tenebras & lucem. Vt enim die appropinquante noctis tenebras dissipari necesse est, sic adpetitus inferioris, nempe irascendi & concupiscendi caligo depellitur, luce adpetitus superioris siue voluntatis & consultationis: contráque inferior ille adpetitus inobscurat sæpe consilium & rationem, perinde vt noctis caligo inquit Aristoteles hoc ipso tempore nobis lucem eripit, finemque adfert dicendi.

DIES QVARTVS, IN QVO DVÆ PARTES MENTIS, ET DVO GENERA VIRTVTVM, NEMPE ACTIONIS ET COGNITIONIS, DISTINGVVNTVR, ET DE virtute actionis siue morali docetur, nempe mediam esse inter vitiorum extrema.

IAM vigil ætherios impellere Lucifer ignes,
Cœperat, albatúsq. suo præcurrere Regi,
Cum Sophiæ pater in cælum sua lumina tollens,
Vota facit pius, áque suo capit omina Sole.
Phœbe decus mundi, cælíq. solíq. voluptas,
Perpetuæ fons lucis ades, tua lumina nobis
Præfer, ab Eois veniens, & littore rubro,
Ætherius tibi naturâ calor insitus ille,
Adsiduè cuius genitali semine fœta
Parturiunt maria & terræ. Tu luce coruscas
Natiuâ, de fonte tui radij omnia lucem
Accipiunt: aliter nostro de pectore lucent
Virtutes, non natiuæ, sed tempore & vsu
Quæsitæ, & studio vigilandi in rebus honestis.
Te sine caligat mens nubila, te sine Veri
Vestigare vias, est semina spargere ventis.
Tu potes ingenerare animo Virtutis amorem,
Qui languet sine luce tua, cælíq. calore.
Namq. tua lustrans face terras, æquora, cælum,
Omniáq. exponens magni miracula mundi,
Ad Verum ceu voce vocas, & in atria Solis
Illius inuitas, felicis præmia vitæ
Solus qui donare potest. Tu limite cæli
Semper agens medio geminos sub fræna iugales,
Dum neq. te ad Boream solito sublimior effers,
Aut mage quàm par est properas decliuis in Austrum,
Ipséq. te cohibes Tropicorum scammate vtrinque,
Ire doces medio Virtutis tramite mentes,
Ut procul auersæ vitiorum finibus imis

Et summis, fugiant cæcas caligine sedes.
Ad te nunc REGINA *meus se flectere sermo*
Incipit. Hæc modo quæ memoraui splendida nobis
Sol exempla mouet: noster quoq. sensus eodem
Hortatur, mediumq. etiam iubet ipsa ferire
Nostri acies oculi. Nam si pertendere in orbem
Fixa velit Solis rutilantem pupula, cæcis
Vltrò se tenebris damnauerit: & viceuersa,
Carcere qui tetro & longa caligine mersus,
Iucundo fruitur non vnquam lumine Solis,
Orbatur paulatim acie: sic flamine nullo
Aut nimio adfectus, animi quoq. lucida virtus,
Deficit. Aut veluti medius tepet inter aquarum
Frigora, cælestesq. ignes, agitabilis aër:
Limite sic medio est, inter contraria virtus.
Virtutum quoq. te & vitiorum signa docebo.
Hæc duo sunt, nullis vnquam fallentia rebus,
Felle madens DOLOR, *& circumflua melle* VOLVPTAS.
Actibus incumbens alacer, qui gaudet honestis,
Possidet huic animi virtus penetrale: sed idem
Si dolet, huic vapido vitium sub pectore gliscit.
Qui modicis gaudet mensis, tenuiq. paratu,
Quem procul à Paphiæ castris, spurcóq. cubili
Vita iuuat, virtus huic temperat intima, nomen
Cui dat temperies: contra, sic viuere, cuius
Contristat, sensuq. animum malè torquet amaro,
Aduersi stupet hic vitij aut impellitur œstro.
Hasce voluptates, atq. hos REGINA *dolores*
Significant riui, per lucida strata viarum,
Infima Virtutum hac lambentes atria in vrbe.
Sed plures falsus dolor aut fucata Voluptas
Decipit, & medio Virtutum à limite valles
Transuersos agit in piceas. Hoc scire saluti est
Discrimen. Vitij facies blandissima Siren,
Ore voluptates primo speciosa nitentes
Ostentat: crucios à tergo sæua dolores
Ingerit: at contra Virtus satis aspera primo
Est aditu, morsusque aliquos habet ante-dolorum,
Fine voluptates, quas nec dulcedine vincit
Nectar & ambrosia. Hoc etiam discrimine riui
Sunt alij dulces primum, dehinc torquet amaror:

Atq. latex idem contra gustamine primo
Pungit amaritie, dulcis sed sine saliua est.
Sed neq. virtutum quiqui profitentur amorem,
Omnes tangit amor: simulant pars plera, disertis
Ardua laudantes virtutum culmina verbis,
Ipsi vt laudentur, veræ quia laudis egent
Falsam inhiant, implentq. aures popularibus auris,
Fucatosq. petunt inopes Virtutis, honores,
Nec prodesse aliis quærunt, sed vana præesse
Ambitio subigit: veluti custodis in vno
Capræ si grege sint & oues, facto agmine capræ
Prosiliunt, celeresq. ouibus præcurrere certant.
Pastor in extremum sæpe illas reiicit agmen,
Vsq. tamen referunt sese. Tam dira cupido
Dignis posteriore loco, est innata prioris.
Iustitiæ aut specie laruati, aut Relligionis
Omine, lucra inhiant, messem & socialiter auri
Argentiq. metunt. Hæc illis inclyta Virtus,
Hæc illis est summa boni. Meliora sciuntq.
Et celebrant, factis sed deteriora sequuntur.
Vt toga sit palmata vident, & picta figuris
Gestarum variis rerum, iustisq. triumphis
Fulgida, promeritos qua vestit læta clientes
Virtus: vt contra vitium stet sordibus atrum, &
Vilibus in tunicis, fallacibus inlita fucis
Pallula sit quanquam: sed vitæ turpiter actæ
Pellucet species, oculosq. incestat imago.
Plurima pars tamen hac cupiunt vestirier, isto
Se pulchros habitu, populúsque patrésq. seueri
Sperant, elatóque superbi vertice tollunt
Alta supercilia, & Iunonem paßibus æquant:
Et quamquam vitio madeant intercute plures,
Gloriola cæci tamen, & ridentis inani
Fortunæ specie, vt sani rectè, atq. beati,
Adplaudunt sibi gratantúrque, Phreneticus olim
Respuit vt medicum, &, quia sum te sanior, inquit.
Recta valetudo est animi tutelaq. Virtus.
Auersi tamen hac, audent sperare salutem:
Accipiunt, qualem non semper cautus Vlyxes
Repperit ad Scyllæ propius confinia nauim
Adpellens, socios vbi sex malè perdidit, omnes

De meliore nota, remóq. armísq. valentes.
Talia peccanti viuum dictare colorem
Quis potis, aut culpam prætexere Quinctilianus?
Libera diuino cum sit concessa voluntas
Munere, & è multis electio callida, lumen
Consilij dubiæ per cæca crepuscula vitæ.
Artibus instructi, his, opera effigiare valemus
Digna in huiusce vrbis tectis adytísq. locari.
Hoc REGINA *tibi patefiet, crastina Phœbi*
Cum radiis lampas totum patefecerit orbem:
Nam cæli æditiuus nunc claudit Vesper Olympum,
Nec mihi fas quidquam fari sine lumine Solis.

IAM VIGIL ÆTHERIOS.

NVNC ad Solem ipsum oratione cõuersa pereleganter diei ortum exprimit Aristoteles. In qua descriptione duæ ponuntur quasi notæ propriæ Solis: claritas nempe lucis, & calor, quæ res vt à Solis vnius ac eiusdem vi naturâque fluunt, sic animi humani virtus est duplex, vna quæ in actione consistit, altera quæ in cognitione & scientia.

Cum luce igitur Solis nunc Aristoteles confert vitam, cuius finis cognitio est summæ veritatis, hoc est Dei: cum calore autem Solis vitam actioni seruientem cuius finis felicitas communis, siue politica. Itaque definitione sic eam declarauit Aristoteles c. VII. lib. I. ad Nicomachum, & c. VII. lib. X. *actionem esse animi, fluentem à virtute optima.*

ÆTHERIVS TIBI NATVRA.

Nunc à dissimili ostendit inter Solis proprietates, & animi virtutes interesse, quod illæ Soli à natura ingeneratæ sunt: nobis autem virtutes industria & vsu quærendæ sunt, etsi naturæ vi magis minúsue ad eas sumus propensi. Quæ disputatio est Aristotelis c. I. lib. II. & c. XIII. lib. VI. ad Nicom. Itaque nunc Solis auxilio opus sibi esse ait Aristoteles ad felicitatis vtriusque inuestigatiónem: ciuilis siue agentis, & solitariæ, siue cõtemplantis. Quemadmodum autem Solis radij sint duces ad politicæ felicitatis cumulum, ipse paulo post dicturus est. Nunc autem ostẽdit Solis clarissimam lucem, quasi instrumẽtum esse adipiscendæ illius felicitatis, quæ posita est in rerum inspectione. Copia enim suæ lucis latè longéque in omnes naturæ partes fusa, oculis nostris exhibet cælum, maria, terras, & quicquid horum ambitu continetur. Harum autem omnium rerum inspectione diligenti, via sternitur ad cognitionem veritatis. Itaque hac etiam ratione Sol à Physicis *mens mundi atque temperatio* nominari potuit, vt à Cic. lib. VI. de Repub. Plinio c. VI. lib. II. Plutarcho in lib. de facie in orbe Lunæ, & Cleanthe apud Laertium.

Ammiano Marcel.lib.xxi.Iul.Firmico c.iv.lib.i. Etiam Heraclitus Solem veritatis inuestigationi auxilio esse cum dicere vellet,obscurè illud ac more suo enuntiauit,quod est apud Plutarchum in lib.de animalium prudentia Εἰ μὴ ἥλιος ἦν, εὐφρόνη ἂν ἦν: *Ni Sol exstitisset, nox fuisset*: noctem geminam,opinor intelligens, oculorum noctē siue cæcitatem, ac mentis noctem siue ignorationem. Tangit autem quoque auctor vestigium illud,quasi aliqua suspicio Aristoteli, de vero & vno Deo, & à quo felicitas θεόσδοτος,vt dictum die ii.& iii.

Tv limite cæli dvm medio.

Nunc de felicitate politica siue actuosa docere pergit, quemadmodum scilicet hanc petentibus etiam via præmonstretur à Sole. Quicum in orbe signifero conuertitur, extra metas suas,& quasi cancellos nunquam egrediens,sed mediam regionem cæli semper obtinens,exemplo suo docere videtur homines, medium in actionibus feriendum esse, ita vt à vitiosis extremis quasi pestiferis & nocentibus refugiamus, ad eundem modum quo ipse, hinc,Austri extremum pruina rigens, declinat,inde septem stellas *vnde horrifer*

Aquilonis stridor,gelidas molitur niues,

Geminos autem *adfræna iugales*,auctor dixit,vt interpres Sophoclis in Aiacem, Solis currum iunctum esse ait duobus equis candidis, quorum ille Lampon, hic Phaëthon: aut *geminos* dixit valde similes: & sic geminietsi quatuor sint, vt soliti numerari,

Nam si pertendere in orbem.

Aliud simile, quo nihil, sic enim loqui licet, *idoneius*. Nam vt acies oculorum exstinguitur tam illis, qui Solem acriter oculis intuētur, quā iis, qui diutissimè in tenebris, vt carcere aut specu aliquo detenti fuerunt: sic animi nimia elatione aut depressione, virtutis lumen exstingui necesse est.De oculorum autem illa mediocritate Aristoteles problem. xxix.Partis xxxi.c.i.lib.v.de ortu animalium.Lucret.lib.iv.

Avt velvti medivs.

Locum & regionem virtutis terminari duobus repugnantium inter se vitiorum extremis,alia comparatione docet non minus clara & illustri,quàm illa fuit superior. Nam vt aeris natura tepida, inter aquæ frigus & ignis ardorem interiecta media est:sic habitus virtutis medius inter extrema vitiorum est,quorum alterum excedit mediocritatem,alterum est infra modum,vt Aristoteles ipse copiosiùs declarauit,c.iix.lib. ii.ad Nicom.Æquè igitur extremum vtrumq.nocet,vnde veriverbium vetus Ἀκρότητες ἰσότητες *extremitates, æqualitates*. Vt inedia & voratrina, æquè vtraque iugulat.Differit ea de re Ioann.Cassian.c.xvi. Collat. ii. Faustus Episcop.c.xvii.lib.i.de lib.arbitr. At de virtutibus vetus *vetustum* illud prouerbium esse ex philosophorum scholis, testis locuples Dionysius lib.iix. narrans de C.Marcio Coriolano Ἔοικε, inquit, ἀληθὲς

εἶναι δὲ ὑπὸ τῶν ἀρχαίων λεγόμενον φιλοσόφων. Ὅτι μεσότητές εἰσιν, ἀλλ᾽ οὐκ ἀκρότητες αἱ τῶν ἠθῶν ἀρεταὶ, μάλιστα δὲ ἡ δικαιοσύνη. *Videtur, vera esse illa veterum sapientum vox, virtutes morales, mediocritates esse, non autem extremitates, maximéque Iustitiæ virtutem &c.* Quanquam alio etiam modo, virtus ipsa est ἀκρότης, siue extremitas videlicet κατὰ δὲ ἄριστον καὶ τὸ εὖ vt loquitur philosophus c.vi.lib.ii.ad Nicomach.hoc est, *quatenus optima est & benè habet.*

VIRTVTVM QVOQVE TE.

Pergit subiungere de voluptate, ac dolore, signis virtutis & vitij certissimis. Nam, vt est c.iii.lib.ii.ad Nicom.habitum atque perfectionem virtutis in eius animo esse intelligimus, qui munere virtutis atque officio non inuitus neque iniucundè perfungitur: quibus autem hoc ipsum doloris quasi morsus efficit, ij habitum vitij animo comprehenderunt, vt argumento est voluptas ea, quam ex turpi flagitiosáque vita percipiunt. Idque nunc Aristoteles perillustris exempli adpositione declarauit. Quibus enim parcè, sobriè, continenter viuere melli ac voluptati est, inquit, ij temperantiæ virtutem habent, quibus autem hoc ipsum felli siue dolori est, ij sunt intemperantes.

HASCE VOLVPTATES.

Ostendit reginæ riuulos ex arce inferiori erumpentes habere significationem voluptatis adiunctæ virtutibus, & doloris, qui comitatur vitiis. Fluunt autem hi riuuli dextra læuáque, iuxta vias illas in quibus domicilia virtutum. Sed eorum riuulorum alij puri ac dulces: alij turbidi & amari, vt dictum die primo.

SED PLVRES FALSVS DOLOR.

Falsa & inani quadam specie voluptatis aut doloris decepti homines, è via sæpe in deuerticulum abeũt, relictisque itineribus ac domiciliis virtutum, abdunt sese in valles ac latebras vitiorum. Doloris enim metu & molestiarum, à studio virtutis deterriti: illecebris autem blandissimarum voluptatum deliniti, ad vitiorum calles adherescunt. In quo cernere licet, quantopere occæcati sint. Illis enim qui à natura virtuti tanquam spinæ rosis additi sunt, doloribus perhorrescunt: illos non vident, qui ex vitiorum gurgite ac voragine erumpunt. Voluptates appetunt eas, quibus vitiorum frontes, quasi meretricularum, fucatæ sunt: ad illas non respiciunt ex virtutibus efflorescentes. De quibus eleganter Cebes Thebanus in tabella vitæ humanæ. Et Musonius apud A. Gellium c.i.lib.xvi.

SED NEQ. VIRTVTVM.

Et tamen vt in boni viri specie latitent, magnificè de virtute ipsa loquuntur, siue vt Horatius poeta eleganter dixit ep.vi. *Virtutem verba putant, vt lucum ligna:* aut vt Iuuenal. *Virtutem verbis Herculis inuadunt:* aut

vt

vt philoſophus ipſe c.iv.lib.ii.ad Nicomach. ἐπὶ δὲ τὸν λόγον καταφεύγοντες οἴονται φιλοσοφεῖν. *Confugientes ad verba, putant ſe philoſophari.* Cum enim lucrari & voluptates carpere, & falſum gloriæ choragium comparare optent: ſpecie quadam & oſtentatione virtutis, apud imperitos fidem ſibi faciunt, qui tantùm actiones ipſas, non autem animum quo ſuſceptæ ſint, conſiderant, fucoque illo & apparatu, non ipſa virtutis facie natiua commouentur.

VT TOGA SIT PALMATA VIDENT.

Declarat hominum amentiam, qui tametſi virtutem, animi veſtem pulcherrimam & quaſi ornatum regalem eſſe intelligunt, vitiorum autem ſordidato & pannoſo veſtitu nihil eſſe fœdius, vitij tamen libentius ſutili centuculo, quàm virtutis toga palmata veſtiuntur.

PHRENETICVS OLIM RESPVIT VT MEDICVM.

Pergit hoc ipſum illuſtrare ſimilitudine. Recta valetudo ſiue ſanitas eſt corporis temperatio, cum videlicet ea congruunt inter ſe, è quibus conſtamus, vt eſt apud Ariſtotelem problem. iii. Partis 1. & c.iii. lib. x. ad Nicom. ſic virtus perturbationum moderatio eſt, & quaſi valetudo animi, & perpaucos tamen inueniri ait, qui hanc ſiue ſanitatem ſiue tranquillitatem animi & pacem ſectentur. Sed à mediocritate ſiue medio defluunt ad extrema vitiorum, vt quondam Vlyxes ad Scyllam plus nimio nauim adpellens, de remigio ſuo ſex comites amiſit. Odyſſeæ XII.

TALIA PECCANTI.

Quaſi anticipatione quadam illis occurrit qui dicerent, deflectere ſe à virtutum via in vallem vitiorum, ſanè, ſed vi ac neceſſitate quadam id potius, quam culpa ſua euenire. Itaque illum ipſum, de quo paulo antè mentionē fecimus, Vlyxem, & ſi mortalem *catum, malum, crudumque & callidum atque ſubdolum*, tamen à Scylla ſibi cauere nequiſſe. Sed Ariſtoteles ſapienter ſanè hanc defenſionem refellit c.i. & deinceps lib. iii. ad Nicom. oſtendens homini datum eſſe diuinitùs τὸ ἑκούσιον id eſt voluntarium, in quo ineſt electio ſiue conſilium, voluntas ſiue liberum arbitrium, & conſultatio, quæ tria principia interna ſunt omnium vitæ noſtræ actionum, quibus tanquam tædis prælucentibus, animi ſine offenſione in domicilia virtutum proficiſcuntur, poſita in viis quinque vrbis huiuſce excelſis atque luminoſis, vt Ariſtoteles die ſequenti Reginæ dicturus eſt.

DIES QVINTVS, IN QVO DE FORTITVDINE PRIMA VIRTVTE MORALI.

Lucida vicinæ refugit iam tela diei,
Nigrantésq. sinus pepli Nox contrahit, atros
Deiugat & properanter equos: comes auolat vnâ
Pallenti ore Pauor: curru Sol aureus igneo
Inuehitur contra, Comes huic Fiducia, suadens
Res agere, & solita ignauis etiam addere calcar.
Sole igitur duce nunc, Veri spectemus in vrbe
Virtutis primæ visenda palatia, circum
Signa vbi porticibus robur spirantia in amplis.
Illa viros referunt oculis, quos ignea quondam
Extulit in cælum virtus, hodieq. nepotum
Posteritas memorans, cælo pia laudibus æquat.
Nam neq. præcipiti calor hos temerarius vnquam
Impulit effrenes ausu: neq. in aspera rerum
Pallidus ire Timor, neruisq. Ignauia languens
Inualidis vetuit. Non illos nubilus olim
Adtonuit vultus, non spe deiecit honesta
Triste supercilium Fortunæ: sed neq. tales
Debilitare animos, incendia sæua dolorum
Eualuêre vnquam, non terribilissima mortis,
Terriculas longè quæ cunctas vincit, imago
Demouere statu. Mortis, quam dicere portum
Humanæ soliti vitæ, sed non sine magna
Vulgus in hunc penetrare solet formidine portum,
Omnes ipse rates quia portus conterit. Æquo
Hunc animo subeunt tamen illi, mascula virtus
Quos armans trepidare vetat, dum finibus hostes
Defendunt patriis, aut dulcia pignora natos
Propugnant, carósue malis damnisque parentes
Non timidè prohibent, animámq. impendere gaudent.
Patriáq. in primis dum sacra tuentur, & aras,
Et pro relligione ruunt in vulnera, quondam
Concidit vt prona in subiectos victima cultros,

Sanguinis & riuo fumantes imbuit aras.
Acceptas, pelago, ceu sponte volubile, semper
Flumen reddit aquas: vltro Virtutis amore,
Sic animi trepidis opponunt pectora fortes
Rebus, & officio deuota pericula vincunt,
Et patriæ reddunt caróq. accepta parenti,
Debita vel natis impendunt munera vitæ.
Sunt alij specie fortes Virtutis inani
I. *Namq. alios trepidum ventoso Gloria curru*
In certamen agit, Fama vel dira loquacis
Cogit in arma fames, laudúmq. immensa cupido,
Purpureóue facit fortes fucata veneno
Ambitio, aut pœnas metuens ignauia, vires
Colligere ipsa iubet, maculásq. horrescere ceræ
II. *Caritus. Est alius fortes imitarier audens*
Aspera qui didicit contemnere fortiter vsu
III. *Adsiduo. Est alius cui cæco ira impete feruens*
Excitat immanes stolida in certamina vires,
Aut animi pœnas dolor ingeniosus in acres
Cum læsus fremit, & vindictæ occasio ridet.
IV. *Nec dubitant aliqui sese in discrimina ferre*
Quælibet, euentu quoniam certare secundo
Sunt soliti, hæc illis auget fiducia robur.
V. *Sæpe etiam vecors dubiarum inscitia rerum*
Exagitat mentem, & protrudit in aspera cæcam.
Hi taléisq animi falsa sub imagine fortes,
Virtutísq. solent simulato fallere vultu.
Omnibus his locus est nullus Virtutis in aula
Huius, quam duce me REGINA *inuisere perges,*
Adspice de fusca silice vt venísq. rubente
Sanguineis, surgunt hæc atria: lampas in ipso
Limine vti supero lucet: Rationis imago
Rectæ illa est, radio speciosa palatia lucis
Virtutum quæ complet, vti pharus ardua quondam
Emicat, ostendens trepidis ex æquore portum.
Adspice vti rutilent insignia tecta trophæis,
Atria vti longis circum redimita coronis,
Et lauru victrice virent. palmísq. Reportant
Certa etenim dubiis ex rebus præmia fortes,
In patriam atq. lares multa cum laude reuersi.
Sed nunc iam satius, REGINA, *est visere in amplæ*

Interiora domus. Viden' vt simulachra virorum
Ista coronato lætis stent vertice palmis?
Atq. in porticibus viuum spirantia robur,
Sustineant tectum solida ceu mole columnæ?
Hanc quoq. porticibus quæ cingitur area circum,
Inspice. Stat media, structum de hostilibus altè
Curribus atq. armis visenda mole trophæum,
Et latè rutilat, subiectis ignibus ardens.
Quales de spoliis congestis victor aceruos
Est solitus struere, & subiectis vrere flamis,
Et sua victrici redimitus tempora lauru,
Gradiuo venerans offerre ea munera patri.
Ante focum talem, faciéq. habitúq. Mineruæ
Inuictæ, medio stat limite strenua VIRTVS,
Et neq. se in medias infert temeraria flamas,
Nec procul absistit nimium, frigétq. virago:
Parte aliâ metuens plus æquo incendia, pallet
Pigra cito longè fugiens IGNAVIA *cursu.*
Læua iacet rapidis ambusta AVDACIA *flamis,*
In quas præcipiti vecors sese intulit ausu.
Ingentes sed iam est operæ spectare columnas,
Hæc modò Virtutis quibus inclinata recumbunt
Atria, ceu quondam illorum, Respublica neruis
Incubuit, quorum hæc spirant simulachra figuris.
Primus in his ingens Pario de marmore spirat
Amphitryoniades, nodosa robore claua,
Exsuuióq. acer Nemeæi horrente Leonis.
Priamides illi stat proximus Hector, & armis
Et pietate illi, non proximus ordine tantùm.
Romulides sequitur, patriæ qui signa Camillus
Rettulit, atq. vna totum seruauit in arce
Imperium. Flamis dextram crepitantibus vrens
Scæuula stat. Viden' vt frons nil caperata, doloris
Arguit expertem? Nimirum pectore in imo
Acer amor patriæ, violentior æstuat ignis.
Impiger hinc Brutus stat, qui patrem exsuit vltrò,
Vt patriæ indueret patrem pius. Adspice contra
Est locus, herois nulla sub imagine spirans,
Fornicem vbi fulcit, sublimi mole columna.
Regis Alexandri hic steterat celeberrima quondam
Effigies, patulas illi sonuêre per aures

Dum mea de Sophia studio dictata, sed auras
Hæc postquam in rapidas abierunt irrita, Veri
Deuius à meta, currúq. excussus, habenis
Recta suis ratio quem temperat, excidit amens
In valles, vitiis vbi turpia regna profanis.
Scilicet huic solium postquam fortuna tenere,
Et dedit imperiosa manu tractare Darij
Sceptra, per auroræ populos vrbésq. beatas,
Immemor ipse sui, stirpísq. oblitus auitæ
(Vt soliti Reges sese ignorare superbi)
Filius esse Iouis, Deus immortalis haberi
Velle ferox cœpit, patrem ignorare Philippum,
Talibus auersos iugulare insanus amicos,
Templáq. Amicitiæ mensas, violare profuso
Sanguine amicorum. Sed enim rex Iuppiter ipse
Has intemperias, hæc impia facta perosus,
Fulmine prostrauit statuam bacchantis, & alto
Exclusam hospitio Virtutis, sede locari
Vallis in aduersa iußit, quam AVDACIA *præceps*
Poßidet. Hic inter nunc stat simulacra superbo
Vana supercilio Regum, qui nomine digni
Vix satis humano, diuum sibi poscere honores,
Et regnum tentare Iouis furialiter ausi.
Haud secus ac montes furiato pectore quondam
Montibus accumulant, insana mole Gigantes,
Et vasti properant conuellere limen Olympi.
Scilicet hæc solita est, mutato nomine, stultis
Fabula narrari de Regibus, omnia rite
Quos audere iubet, vapido sub pectore feruens
Imperij species, calumq. imitata potestas,
Iura negare sibi scripta, & contemnere leges,
Vulgi vt terriculas fatui, non vincula Regum.
Nunc geminas huc flecte acies, atq. intima tecti
Inspice, nullæ vbi sunt statuæ, sed plurima imago,
Præscia venturi viuis quam ductibus olim
Zeuxidis est imitata manus. Licet ora tueri
Martia, & in duris exercita pectora rebus,
Quæ Regina tuo aut patrum viguêre sub æuo.
Prima tui se offert hic magna parentis imago
Francisci, quo rege, suis in finibus olim
Magna renascentes Musarum GALLIA *fructus*

Vidit, & hanc nouiter cœli se munere vitam
Viuere lætata est: vitam, sine lumine cuius
Ipsa etiam mors est, perhibet quam nomine vitæ
Vulgus iners: nec stare diu aut florere beato
Culmine regna solent, quorum de finibus exsul
MVSA procul fugit & SAPIENTIA, cæca VOLVPTAS
Succedit profugis, & opum vesana CVPIDO.
Hic etiam magno virtutis robore sæptus
Vir tuus Emanuel, depicta in imagine splendet,
Qui patria eiectus regni dicione, diuq.
Curarum pelago iactatus, & aspera longæ
Perpessus mala multa fugæ: sed robore mentis
Perstitit inuicto, sedesq. recepit auitas,
Concilio & virtute, cato non impar Vlyxi.
Clara Magellani hic quoq. velificantis imago,
Auspiciis cuius, Cano duce deinde, carina
Neptuno mirante ipso, Nereiq. puellis,
Emensa Oceanum est immensum, & nominis vna
Omine digna sui VICTORIA, præpete cursu,
Terrarum & pelagi totum circundedit orbem.
Hæc vbi fatidica sapiens sub voce peregit,
Maiores procul à tectorum culmine spargi
Vmbras conspiciens, Solemq. auertere cursus
Æquor in occiduum, finem dedit ore loquendi.

LVCIDA VICINÆ REFVGIT.

DIEBVS antegressis intellectum est generatim de vi naturáque virtutis, nempe habitum esse, quo instructi & ornati mediocritatem tenent auream illam, quæ ceu meridies quædam est inter metas solis, ortum & occasum, vbi poetæ sedem ac domicilium aiunt esse omnium Deorum, Lactant. ad Thebaidem III. Deinde explicatum est de principiis & quasi fontibus iis, è quibus manant virtutes, mente, adpetitu, electione, consilio, voluntate. Præterea demonstratum est quemadmodum virtutes procreentur, nempe actionibus honestis. Postremo quæ notæ sint virtutis aut vitij in animo iam insidentis, nempe voluptas & dolor. His ita expositis, Aristoteles consequens nunc esse ait de virtutis cuiusque natura dicere speciatim.

Quinto igitur hoc peregrinationis die, Reginam & comites eius Aristoteles in Veri ciuitatem ab illa, per quam introierunt, porta audiendi nempe, via breui quadam iuxta murum vrbis, & videndi atque odoratus portas, ducere porro pergit, ad illam quæ contactus porta est, à



A. Palatium Fortitudinis.
B. Ingens trophæum in area palatij media.
C. Fortitudo.
D. Timiditas siue Ignauia.
E. Audacia.

cuius portæ ingressu, via ducitur illa, in qua exædificatum est à Poëta palatium Fortitudinis. De qua virtute primo loco nunc dicere instituit Aristoteles, vel quoniam ceteris omnibus notior est, vel quia illius qua irascimur, animi partis propria est. Quæ si minus prior naturæ ordine, at certe vehementior est. Acrius enim vitæ pericula propulsare soliti omnes, quam sectari commoda, vereq. M. Cicero: *Quis*, inquit, *honorem, quis gloriam, quis laudem, quis vllum decus tam vnquam expetat, quàm ignominiam, infamiam, contumeliam fugiat?* Aliter tamen ordine naturæ prior temperantia esset, nempe ad concupiscendi facultatem attinens. Hæc enim prima facultas animi esse videtur naturâ, vt ex D. Thomæ disputatione intelligi licet partis I. quæst. xxci. artic. II.

Per quam autem adpositè Aristoteles inducitur cum de fortitudine, cuius extrema sunt timiditas & audacia, dicturus esset, à descriptione diei sic incipiens, vt in ipso quasi ingressu, ac limine sermonis sui, timoris ac fiduciæ mentionem fecerit. Nam & timorem, noctis: & fiduciam diei & solis, comitem esse dixit, quemadmodum Lucretius lib. VI. *Noctis terribilem caliginem*, & Amm. Marcellinus lib. xxIIX. *Horrore*, inquit, *tenebrarum hebetari solent obstrictæ terroribus mentes, vt inter innumera multa, Aiax quoq. Homericus docet, optans perire potiùs luce, quàm pati formidinis augmenta nocturnæ.* De Nocte autem Dea & curru eius, Theocritus Idyll. II. Apollon. in III. Argonaut. & vtriusque interpres. De Pauore Deo res protrita est.

SIGNA VBI PORTICIBVS.

Intelligi vult palatium Fortitudinis, cuius formam & quasi faciem paulo post expressurus est: nunc ambitu eius cōtineri ait, signa heroum & fortium virorum, qui pro salute patriæ, in periculum capitis & vitæ discrimen, vltro se intulerunt, ornatissimáque amplificatione laudes eorum inlustrare pergit ex adiunctis, quibus eos tāquam notis insignes facit, vt, non rebus secundis insolenter efferri, non aduersis de statu animi deiici, non mortis aut doloris & supplicij metu frangi ac debilitari potuisse.

OMNES IPSE RATES PORTVS QVIA CONTERIT.

Perurbane lusit in illos qui mortem adpellant portum quietis, vt Herodotus lib. VII. Sotades apud Stobæum, Dionysius Longinus περὶ ὕψους. Epictetus apud Arrianum c. x. lib. IV. M. Cicero lib. I. Tusc. Quæstionum. Noster autem festiuissimè, mortem ait portum quidem esse, ast naues omnes, id est omnium corpora, in eo portu frangi, cum quidem animus, qui corporis nauclerus & gubernator est, in vitæ sempiternæ domicilium peruenire nequeat, quin nauis eius in morte quasi ipso portu & aditu frangatur.

ACCEPTASQ. MARI.

Planissima comparatio, vt omnia ex mari flumina oriuntur, in eiusque

que sinum rursus influunt, vi solis ex mari vapores eliciente, quibus in pluuiam conuersis, terræque in gremium fusis, existunt flumina, quæ in oceanum deinde rursus deonerantur: sic viri fortes, quam à patria vitam acceperũt, eandem illi egregia animi alacritate refuderunt. De fluminum autem ortu sic Aristoteles in Meteoris c.XIII.lib.I. ea nasci partim ex aere ac vaporibus terra conclusis, partim aqua cælesti, & imbre guttatim quasi confluente.

NON ILLOS TREPIDVM.

Præclare in ipso quasi vestibulo & limine sermonis à vera sinceráq. Fortitudine, distinguit genera quinque Fortitudinis fallacis & fucosæ, latentia in specie quadam & simulatione Virtutis, nempe illorum, qui miserias & ærumnas sufferre & perpeti audent non patriæ, parentum, amicorum salute permoti, aut aliqua specie honestatis animum pulsante: sed alij aliis causis permoti. Primum genus illorum est, qui gloriæ spe aut infamiæ metu nihil periculi recusant. Alterum, illorum qui se periculis offerunt fiducia quadam experientiæ de quibus Aristoteles c.V.lib.II.de arte dic. Tertio loco sequuntur illi qui irarum facibus inflammari & vltionis adpetentes, pericula contemnunt. Quarti generis sunt, qui freti felicitate qua semper vsi fuerunt, fortiter in aciem ac dimicationem veniunt. Postremo genere illi continentur, qui fortiter faciunt ignoratione: vt si Hector cum Achille dimicaret persuasus non esse Achillem, sed Patroclum aut Thersiten. Primum illud genus, veræ fortitudini persimile ac pænè geminum est. Quintum autem siue postremum, à similitudine virtutis longissime omnium recessit. Atque hæc omnia exsequutus est copiosè Aristoteles cap. VII. lib. III. ad Nicomach.

ADSPICE DE FVSCA SILICE.

Ingreditur nunc Aristoteles Reginæ totum Fortitudinis palatium aperire. Ac principio id quadratum esse ait, vnáque in quouis latere porta insigne. Materiam deinde murorum posuit silicem, qui lapis est colore ferri, distinctùs venis sanguineis, quales cernere licet in iaspide. Ex tali igitur, siue lapide, siue saxo, in regia Fortitudinis efficta esse ait tropæa, fornices, coronas, scilicet propter lapidis huiusce duritiem ac firmitatem virtutis domicilio conuenientem. de qua duritie Plinius cap. XIIX. & XXII. lib. XXXVI. Neque alia mens Virgilij cum ait in Æneid. VI.

Quam si dura silex, aut stet Marpesia cautes.

Præterea ostendit Aristoteles Reginæ, turriculam cristallinam similitudine phari eminentẽ in ipso frontispicij tympano, tanto quidẽ fulgore, vt atrium palatij totum fulgore suo lustret & compleat. Cingi autem ait, Fortitudinem à doloribus, ærumnis ac periculis, quæ magno animo excipiunt viri fortes, cùm aliis honestatibus impulsi, tum pa-

trix ſalute maximè. Præfert autem eis lumen ſuum recta ratio ſiue prudentia, comes omnium virtutum moralium, quæ phari ſpecie in hoc palatio, quemadmodum & in ceterarum vitrutum domiciliis, expreſſa eſt. Itaque hoc ſemel nunc præmonuiſſe contentus Ariſtoteles, in aliarum virtutum hiſtoriis non iterabit. Iam autem in ipſo Fortitudinis palatio, in ambitu quadratæ illius ampliſſimæque areæ, oſtendit, quemadmodum columnarum loco tecta ſuſtinentium ſtatuæ poſitæ ſint palma, laurúque coronatæ, ad ſimilitudinem effictæ veterum heroum ac virorum fortium, qui vel ante ipſum Ariſtotelem, vel ætate ipſius, laude fortitudinis celebratiſſimi fuerunt. His ita præmonſtratis, deinde ad parietes ipſos huiuſce regiæ, quaſi digitum intendens Ariſtoteles, oſtendit Reginæ depictas in eis à Zeuxide, non pingendi ſolùm, verum etiam diuinandi peritiſſimo, virorum fortium imagines, qui exſtiterunt, aut hodiéque ſunt, multis retro ætatibus poſt Ariſtotelis è vita exceſſum.

SED NVNC IAM SATIVS.

Speciatim Ariſtoteles Reginæ de ſtatuis heroum & virorum fortium narrare incipit. Sunt autem illorum hæ ſtatuæ qui pro patria vel emori, vel omnibus periculis vitam opponere non dubitarunt, qualis Hector, Mucius Scæuula, M. Furius Camillus æqualis Ariſtotelis, & alij quos longum eſſet enumerare.

QVALES DE SPOLIIS.

Narrat hunc ritum Silius Italicus lib. x. T. Liuius lib. XLV. L. Florus cap. XII. lib. IV. Appianus in Libyca, & in Mithridatica. Plutarchus in C. Mario.

ADSPICE CONTRA EST LOCVS.

Bono dilectu eſt vſus auctor in excluſione Alexandri. Nam multorum ille quidem ſuffragiis fortiſſimus eſt, ſed re ipſa & veritate nõ item. Nam Darium ille quidem ac Perſas vincere potuit, animum ſuum vincere, iracundiam cohibere non potuit, quæ vel præcipuæ ſunt partes viri fortis. Sed Hipponacteo ſatis eum præconio commendauit L. Seneca epiſt. XCV. Vnum illud racitus præterire non queo, ita impium fuiſſe, vt cum exoletus, delicium eius, morbo exſtinctus eſſet, medicinæ principi Æſculapio tanquam ignauo medico iratus, omnia eius templa inflammârit. Nam Epictetus, auctor ſanè grauis, Arriani cap. XXII. lib. II. Ἀλέξανδρος inquit, ἐκέλευσεν ἐμπρησθῆναι τὰ Ἀσκληπιεῖα ἀποθανόντος τοῦ ἐρωμένου. &c. Ἐρώμενος autem ille Hephæſtio.

NVNC GEMINAS HVC FLECTE ACIES.

Hactenus heroes antiqui: nunc ad recentiores ventum eſt: quorum depictas in pariete imagines à Zeuxide Ariſtoteles Reginæ oſtendit

facultate illa diuinandi, qua præditi manes vt dictum à principio. Ac primùm Francisci, qui Reginæ pater fuit, principis immortalitate dignissimi.

qui Geticum moderatus Apolline Martem, & belli fulmen, & patronus ac parens vnicus litterarum fuit.

VITAM SINE LVMINE CVIVS.

L. Seneca epist. xxcii. *Otium sine literis mors est, & viui hominis sepultura.* Et Aristoteles noster interrogatus quantum excellerent docti indoctis, respondit, *quantum viui mortuis.*

HIC ETIAM MAGNO.

Designatur Emanuel Philibertus Allobrogum princeps, Reginæ coniux, qui laboribus viginti quinque annorum exantlaris, post bella plurima & grauissima, tandem pristinam dignitatem quasi postliminio reciperauit.

CLARA MAGELLANI.

Imago Fernandi Magellani qui præfuit classi, quæ Magellanici freti inuentrix. Ex qua etiam Sebastianus Canus deinde, naui sua, cui omine futuri euentus, nomen & tutela erat Victoria, orbem terræ totum circumuectus est.

HÆC VBI FATIDICA.

Tota Fortitudinis regia lustrata, extremo iam diei tempore, non media qua ingressus fuit Aristoteles, sed læua Regiæ porta egreditur, cui è regione, vallis Audaciæ, cuius domicilium postero die Reginæ ostensurus est.

DIES SEXTVS, IN QVO DE AVDACIA ET TIMIDITATE.

PVRIVS extulerat solito de Tethyos vndis
Os Hyperionides, dispellebatq. pruinas
Auroræ vitreas, axis feruore citati,
Mane parum cautos anni qua tempore mordent
Pomiferi extremo: quasi vellet Cynthius vltro,
Ipse suam præferre facem in caligine cæca.

Vallis, quam retinet præceps AVDACIA *sedem.*
Ergo & Aristoteles REGINAM *inuitat, & huius*
Inquit, tam nitidæ rapienda occasio lucis.
Riuulus hic nobis iam traiiciendus, & illam
Tempus mire viam, riguæ per lubrica ripæ
Quæ ducit, iactare ferox AVDACIA *sese*
Gaudet vbi in vapida squallente crepidine vallis.
Hæc vulgo placita est vallis. Pars plurima recto
Deuia virtutis de tramite, tecta subire
Audacis properat dominæ, quia mole figuráq.
Vtraq. tecta vident simili, neq. cura notare est,
Quod domus hæc cæca est, pura nitet altera luce,
Lampadis vt rectæ rationis lumine splendent
Ardentes virtute animi: temerarius autem
Fertur in arma amens, nec sat rationis in armis,
Et citò deficiens, leuiter suscepta relinquit.
Solus vt in siluis deprensus fortè viator,
Forticulum sese facit, & contemnere murmur
Irati Iouis audet, iterq. interritus vrget:
Idem si magno super ingens porta fragore
Intonuit cæli, & propius sua fulmina misit
Iuppiter, horrescit subitò, & tremit externatus,
Consiliumq. viæ, & susceptas proiicit amens
Sarcinulas, seq. ipse aliquo timidissimus antro
Occulit, hospitio aut trepidat latitare priore.
Talis erat manus hæc olim dum vita maneret,
Hîc iam porticibus quorum simulacra sub altis,
Stare vides REGINA *modis pallentia miris.*
Illic ante omnes locus his, Audacia quorum
Impia sacrilego superos incessere bello
Instituit, atq. ingens ferro rescindere cælum,
Titanésq. feri, & Terræ sentina Gigantes:
In quorum subière vicem, qui tecta perosi
Sacra Deo, flamis abolent, ritúq. profano
Vertere docti aras in haras, calóq. placentes,
Turpiter incesta violare libidine castus.
De genere hoc isto Xerxes, quem Græcia vidit,
Et gemuit, templis olim scelerata mouere
Bella, facésq. inferre piis, & sacra Deorum
Omnia, sacrilegum subiectis vrere flamis,
Vincláq. Neptuno, tenebrásq. intendere Cælo.

Sed viden' vt pallet statua illius ante-minacis?
Cernit ad effugij rimas, respectat, vt olim
Callidus admissis agitator in orbe quadrigis
Circensi. Tam parua suo est AVDACIA *fine,*
Maxima principio, & cælo non lenta minari.
Classibus innumeris venit, lembo effugit vno.
Nec procul hinc vecors Salmoneus Elidis olim
Qui dominus parua, magni Iouis æmulus esse
Sustinuit, tonitrusq. imitari & fulmina, inerti
Arte faces vibrans, & ponte inuectus aheno.
Ille faces vibrat, ferro quatit vngula pontem,
Et sonitu feriunt aures crepitante quadrigæ:
At pater ipse Deûm simulato fulmine ouanti,
Fulminis intorsit trifidi penetrabile telum,
Præcipitémq. dedit Furiarum in tristia regna.
Hic & Alexander meus olim, pectore forti
Cognitus, attentas monitis dum præbuit aures,
Consiliisq. meis: at postquàm talia surdè
Audiit, & sese penetrauit in atria blanda
Cæca Voluptatis, procul à dicione beata
Virtutis, simulacrum eius nunc exsulat. Ipse
Iuppiter immisso deiectum fulmine, poni
Iussit in his vbi sese effert AVDACIA, *tectis,*
Hic itaq. ille minax, & picto fulmine pollens,
Nunc latet, atq. Audax meruit, non fortis haberi,
Quem populi tremuêre olim ceu fulminis alas,
Omnia terrifico dum complet nomine regna.
Adspice nunc Regina gradu inferiore locatos,
Rege sub hoc meruêre duces, qui præmia belli,
Et paruæ quasi strictura de fulmine tanto,
Verius aut nebulæ, & sub inani nomine reges,
Euoluêre tamen superis æquarier ipsis.
Cerne quoq. audacis statuam REGINA *Leandri,*
Turpiter incestæ Veneris qui percitus œstro,
Non vlla virtute potens, mare tranat, & vndas
Vincere luctantes Aquilonibus audet, amore
Cæcus, Abydenæ & specie, ipso in frigore Ponti,
Feruidus Heronis, calíque tonitrua & igneis,
Fulgur vt è pelui spernit, dum sperat amicæ
Inruere amplexum, atque optata nocte potiri.
Sic ait, audacíque egressus limine, porro

Et viciße olim perhibent certamine Martem.
Aſt vbi terribilem ſonitum procul are canoro
Increpuit tuba, cumq. manus iam pralia poſcunt,
Proiectis fugiunt clypeis, celerißimus alas
Dat pedibus timor, elapſos Infamia veſtit.
Hæc ita dum Senior Regina ſingula pandit,
Cynthius, occiduo nitidum caput æquore merſit,
Dictiſq. impoſuit, veniens Nox inſcia, finem.

nomachiæ. Propert. eleg. xi. lib. iv.

EXVRGENS PELAGO.

SEXTO peregrinationis die in Veri ciuitate, Ariſtotele duce, Regina luſtrare pergit domicilia vitiorum cum fortitudine pugnātium, nempe audaciæ & timiditatis. Prius autem à læua in vallem vbi eſt domicilium Audaciæ deſcendit, per pontem quo inſtratus eſt riuulus ille, fluens ad læuam palatij Fortitudinis. Deinde Audaciæ regia explorata, meatu ſub riuulum, ex altera parte ſiue dextra fluētem, abdito, ingreſſa, tranſit, & in vallem peruenit, in qua poſitum eſt domicilium Timiditatis.

Principio igitur demonſtrat Reginæ viam Audaciæ Ariſtoteles, quàm præceps ac lubrica ſit, quámque facilis animi nondum planè habitu Fortitudinis confirmati, lapſus, in vallem Audaciæ, quātáque in vulgo iudicij ſit prauitas, cui plerumque audacia & furioſa quædam temeritas, fortitudo vera eſſe videtur. Atque hic, omnium praua conſuetudine ac vitiis imbutorum, communis error eſt. Nam perturbationis nube occæcati, etiamſi vitioſiſſimi ſint, tamen & aliis & ſibi ipſis tanquam virtutem adeptis, gratulantur. Hoc autem eò fieri cōſueuit, quoniam vitia plerumque latent in ſpecie virtutis, bonique naturam fallaciter imitando, adulterant: ita vt facile imperiti ea pro virtutibus amplexētur. Atque in primis Audacia, fortitudinem mirifice imitatur, cuius idcirco regiam, eadem eſſe ait auctor materia & ſtructura, qua palatium Fortitudinis. Itaque animos facile in fraudem impelli, vt Audacia eis Fortitudo eſſe videatur. His ita intellectis, Regina in areā Audaciæ ingreditur, vbi Ariſtoteles ei demonſtrat, ex marmore & ære fictas illorum ſtatuas, qui olim Audacia commemorabili extiterunt. Maximè vero deteſtabilem eſſe docet, longiſſiméq. à medio virtutis aberrantem audaciam illorum, qui ſecundis fortunæ ventis elati, Deum ipſum adæquare, bellumque ei nefarium atque omni ſcelere imbutum facere conati ſunt. Idque exemplis docet Titanum & Gigantum, qui cum diis bellarunt, Xerxis, Salmonæi, Alexandri, & ſimilium.

DE GENERE HOC ISTO XERXES.

Exemplum Xerxis, qui Athonem celſitate incredibili montem

complanare,ac Hellespontum iungere adgressus est. De cuius amentia plenæ historiæ, pleni libri.

Nec procvl hinc vecors Salmonevs.

Salmoneus Eliensium rex: quem fulmen ac tonitru Iouis effingere, in eiusque loco sanctè religioséque à suis coli adpetentem, Iupiter iratus fulmine exstrinxit, quemadmodum à Virgilio narratũ est Æneide VI. Manilio lib. V. Astronomic. Ioanne Tzetza Chiliadis VII. histor. CVII. Atque huius impietati par, & gemina illa fuit Remuli, Tiberino rege Albanorum editi. De quo Dionysius Halicarnass. lib. I. & Ouid. lib. XIV. eleganter *Fulmineo periit imitator fulminis ictu.*

Perurbanè autem & facetè lusit auctor oppositione ficti ac veri fulminis. Salmoneum scilicet non Claudiano tonitru, non fulgure expelui, neque bruti: sed veri ac deliberati fulminis telo interemptum fuisse.

Et picto fvlmine gavdens.

Apelles Alexandrum fulmen tenentem depinxit in templo Ephesiæ Dianæ, vt commemorauit Plinius c. X. lib. XXXV. & Plutarchus in Alexandro pictum ab Apelle ait Alexandrum κεραυνοφόρον id est *fulmen tenentem.*

Qvem popvli tremvere olim cev &c.

Mater Alexandri Olympias sibi visa est in somnis flamam parere à fulmine accensam, vt narrauit Plutarchus in Alexandro: & Georgius Cedrinus in compendio historiæ, proprium fuisse ait Alexandri τὸ ταχὺ, καὶ σφοδρὸν, καὶ πυρῶδες.

Adspice nvnc Regina.

Intelligi vult Alexandri duces, Ptolemæum, Perdiccam, Lysimachũ, Seleucum, Antipatrum, & ceteros qui imperium eius perbreui tempore tam latè longéque propagatum, quasi hereditatem testamento ipsis relictam, creuerunt. Rectissimè autem hos inter audaces recensuit Aristoteles, quia cum Deorum immortalium honore coniungi penè omnes concupiuerunt, vt de Clito, Demetrio, Lysimacho, Plutarchus docet oratione II. de fortuna & virtute Alexandri. Concinnè autem dictum, Alexandri duces tanquam stricturas de tanto fulmine fuisse. Quemadmodum Plutarchus eadem oratione regna illorum vocauit, σμικρὰ ἀποσπασμάτια τῆς Ἀλεξάνδρου δυνάμεως hoc est, *minuta quædam ablegmina dicionis Alexandri.*

Cerne qvoq. avdacis.

Audax Leander Abydenus non specie honestatis, sed amoris incendio victus, mari se committere solitus nocte intempesta, & nando commeare ad Heronem. Itaque *Audacem* proprie Martialis nominauit

uit Epigram. CXXI. lib. vltimi.

SIC AIT, AVDACIQVE EGRESSVS LIMINE.

Lustratis Audaciæ tectis Aristoteles cum Regina egressus porta lateris dextri, per subterraneum iter emergit in vallem Timiditatis, ex altera parte, domicilio fortitudinis oppositam, quo tempore auctor ingeniosè commentus est, fulgurare ac tonare cœpisse, & terram moueri. Aristotelem vero & Reginam ait extimuisse, declarans virtute quidem eorum animos egregiè munitos fuisse, vacuos tamen stupore ac duritia immani. Atque ita nunc quasi in transcursu attingit vitium illud tertiū pugnans cū fortitudine, quod paulo ante duabus de causis silētio prætéritum est, tum quia proprio vacat nomine hoc vitij genus, tam quia paucissimi tali vitio adfines reperiuntur. Vix enim aut ne vix quidem existūt, qui animo ita duro sint & immani, vt ne in terræ-motibus quidem, aut æstibus maris contremiscant. Tali autem si quis duritia inuentus fuerit, eum Aristoteles c.VII.lib.III. ad Nicom. posse, inquit, *adpellari nomine communi, stupidum aut insanum.* Rectéque adiungit, vix in hominem cadere hoc vitij genus, c.X.lib.eiusdem, vt & L.Seneca epist. IC. *inhumanitas*, inquit, *est ista* &c. Et tamen posse conuenire in homines, argumento esse dixerit aliquis veteris Galliæ populos, qui neque ruinam ædium, neque Oceani æstum, neque terræ motiones, neque vllam vim maiorem formidauêre, vt refert Geographus lib.VII. Ælian. Var. c.XXIII. lib.XII. Nicolaus de moribus gentium apud Stobæum Serm. XLIIX. & sequente. Sed nimirum excipit Celtas illos Aristoteles cap.VI.lib. III. ad Nicom. c.I.lib.III. ad Eudemum, quasi qui hominem exuerint ex homine. Quod autem de Celtis alij, hoc de Germanis tradit Herennius Philo lib. de somniis. Videlicet, quia Græcis olim, Celtæ communiter ac generatim populi omnes Galliæ & Germaniæ, vt res notissima.

PERGIMVS AD MOLEM.

Conuenientissimam Timiditati atque ignauiæ sedem depinxit, nempe arcem fossis vallóque incinctam, neque habentem alios pontes quā sublicios, timidissima scilicet prouisione, vt ad quamuis auram metus, statim subleuari possint aut eximi. In arce autem ipsa, & in muris ac portis depinxit homines eneruatos, exsangues, & quasi.

pallentes morte futura
Arrectisque horrore comis.

Qui simul Aristotelem viderunt, & Reginam eiusque comites ad propinquantes, atque illi muti metu exanimati, & vix viui, pontibus exemtis, quasi cochleæ vel testudines, se tectis suis abdiderunt. Aspicit hic ad Reginam Aristoteles, & missas, inquit, faciamus viles animas, metu abiectas in suis latibulis, significans ignauos, angusti & parui animi homines, magis despicatui esse solere, quàm audaces & contumeliosos, odio. Remotior autem à palatio fortitudinis depicta est Timiditatis domus quàm Audaciæ, quia Timiditas & ignauia nimium quan-

tum dissimilior est fortitudini, quàm audacia.

His ita cognitis, narrat deinde Aristoteles Reginæ de sede illa Timiditatis, quemadmodum in area eius, pallentes è cera fictæ sint imagines cum aliæ, tum illæ tyrannorum in primis, vt Phalaridis, Agathoclis, Alexandri Pheræi & similium, quibus in metu ac suspicionibus ætas omnis consumpta est. Nam vt rectè Laberius.

Necesse est multos timeat quem multi timent.

Festiua & memorabilis in hanc sententiam narratio est Plutarchi in commentario libello ad Principem doctrinæ expertem, de Clearcho Pontico tyranno, qui somnum capiebat in cistula delitescens, tanquam serpens in latibulis.

SICVLASQ. CRVENTA PER VRBES.

Singulis enim ciuitatibus suus tyrannus. Dionys. lib. VII. Iustinus lib. IV. Paull. Oros. c. XIV. lib. II.

FOSSA DOMVM TREPIDAM CINGIT.

In fossa quæ Timiditatis castellum cingit, greges degere ait ceruorum, leporum, ac damarum, intelligens milites ac duces ignauos & ῥιψάσπιδας, qui hastas & clypeum timidissimè abiecerunt. Quales illi bello Augusti & M. Antonij milites, quos Q. Cornificius Poëta, P. Virgilij æmulus olim, perurbanè appellauit *lepores galeatos*, apud Eusebium: & illi de quibus concinnè Sidonius Apollinaris epist. VII. lib. V. *in prætoriis leones, in castris lepores.* Nec dissimilis iocus Lysandri in Corinthios, *fulmina belli esse illos ciues, in quorum fossis tuti sint lepores*, quod in vita eius commemorauit Plutarchus. Idemque de Archidamo Zeuxidami in apophthegm. In θρασυδείλους autem, & Thrasones bene illud quoque Messius Volscorum dux apud T. Liuium lib. IV. *In ocio tumultuosi, in bello segnes.* Et Tertyllianus c. I. De corona. *In pace leones, in prælio cerui.* Et Synesius epist CIX. Ἐν εἰρήνῃ θρασεῖς, ἐν πολέμῳ δειλοί, ἁπανταχοῦ πονηροί. *In pace præsidentes, in bello timidi, vbique improbi.* Et iam olim Sophocles κακοὶ πρὸς αἰχμήν, ἐν δὲ τοῖς λόγοις θρασεῖς. *Pugnare segnes, blacterare strenui.* Facetè autem Aristoteles talium bellatorum titulos & nomina in alnorum & salicum corticibus inscripta esse ait, quasi diceret, *Salmacidæ spolia.* Nam arbores illæ fragiles, & amatorum magis quàm armatorum inscriptionibus commodæ. Atque his dictis sole iam obeunte, finis huic sermoni impositus est. Postero die iturus Aristoteles cum Regina in palatium Temperantiæ, positum in cliuo & via gustatus. Nam etsi Temperantia & gustandi & tangendi voluptatum refrenatio est, tamen Regina per gustatus portam, quæ prior est, in cliuum Temperantiæ ingressura est.

DIES SEPTIMVS, IN QVO DE TEMPERANTIA.

Praevia venturi Solis, Tithonia coniux
Dispulerat toto palantes æthere stellas,
Cum pater ipse vrbis, reserato limine, Phœbum
Exoriente die, solito de more salutans,
Phœbe pater dixit, terras, mare, sidera, cælum
Lumine qui complens, vegetas vitalibus auris
Omnia, nunc duce te Virtutis in atria nobis
Sint aditus faciles huius. Sic fatus, in alta
Atria Virtutis scandit, qua pulchrior vlla
Vix alia esse potest. Nam quæ sua lumina præfert
Omnibus in tectis, alias Prudentia seruans
Virtutes, hanc ista suæ moderamine seruat
Temperiæ Virtus, hodierni lumine Solis
Quam duce Aristoteles Reginæ ostendere pergit,
Atq. ait, intendens dextram. Sata sanguine Regum,
Hæc tam celsa vides quæ stare palatia, partim
De niueo, partim roseo de marmore splendent.
Vestibulum vide sis geminis hoc stare columnis,
Vna PVDICITIAE *Pario de marmore imago est:*
Altera de rosea quam fulgere Iaspide cernis,
Recta VALETVDO *est. Terræ defigit ocellos,*
Casta Pudicitiæ semper-florentis imago.
Cingit ei myrto Paphia & canentis oliuæ
Serta corolla caput, de termite. Læta nitenti
Ore VALETVDO *est, atque illi tempora velat*
Seruia de cedri foliis, & flore amaranti
Purpureo. Mediis nunc quæ patet area vise
Porticibus. Sedet hic vestali schemate virtus,
Aurea TEMPERIES *quam signat nomine. Lychnum*
Dextra tenet, blando tenerum palpamine læua
Agnellum fouet. Hinc Bacchus, Venus atq. Cupido
Inde sedent domiti, & manibus post terga reuinctis.
Cedrus heræ ipsi vmbram facit, & cognata saligno

Suaueolens generi vitex. Sed plurima in ipsis
Porticibus simulacra viden'? Sub imagine tali
Sedibus his viuunt illi face pectora quorum
Lege Pudicitiæ salua, exarsêre iugali.
Nec nimio madidi mentem turbare Lyæo,
Sed soliti Baccho & Veneri pugnare, paratis
Sede sua rectam Rationem pellere, & omnia
Atria Virtutum vastis conuulsa ruinis,
Turpibus in fœdas vitiis protrudere valles.
Nec verò effigies his tantum plurima splendet
Porticibus, sed & in tecti penetralibus ipsis
Sunt aliis claræ virtutibus. Ista subire
Nam cupiunt quoq. tecta, quibus sub pectore gliscunt
Virtutes aliæ. Sed nos simulacra morentur
Illorum, celebres quos fecit amabilis, olim,
Virtus, TEMPERIEM *morum quæ nomine præfert.*
Hoc Pagasæa, viden'? Alcestis in agmine, vitam
Cuius morte suam sibi coniux repperit olim.
Nunc quoq. marmoreis hæc illam verba labellis
Edere velle putes. Mea te sanctißime coniux
Fatis eripuit mors accersita, sed illa
Nunc eadem tribuit mihi vitæ munere, sera
Posteritate frui. Comes huic est Icariotis,
Per duo lustra viri coniux errantis amore
Nota: maritalis quæ seruans fœdera lecti,
Sola suos tutata lares, surdè audiit omnes
Auersata procos, vni sua semper Vlyxi.
Ille sed interea ludit: securus amorum
Penelopæ, & Veneris miles Venerisq. puelli
Est ad signa frequens, & nunc latet abditus atra
Vicinæ in vallis caligine, postera Solis
Vt tibi lux oriens reteget. Nunc adspice tecto
Interiore domus, pictoris vt ingeniosa
Est imitata manus, visenda mole sepulchrum.
Hoc Cariæ regi terræ, molimine coniux
Magno constituit pia, thyrso pectus amoris
Saucia, solamen magnum sed inane. Mariti
Namq. sui tanquam sitiens, exterritáq. æstu
(Ceu desiderij magno, permiscuit vnda, &
Obduxit cineres, & viuens facta sepulchrum est
Mortui. At Hippolyti sequitur quam cernis imago

Flebilis, in sancta qui dum persistere certat
Lege Pudicitiæ, refugitq. incesta nouercæ
Vota suæ, illius male ferali occidit arte,
Turbatis distractus equis: dehinc Virbius esse
Cœpit, & æterno mactari Diuus honore.
Restitit hæc fatus sapiens, vocémq. repressit,
At roseo facies Reginæ offusa colore est
Candida: purpureo vt niueum violauerit ostro
Si quis ebur, vel mixta rosis vt lilia vernant
Candida puniceis, suaui perfusa rubore.
Ipsa etenim iuxtim se picta in imagine vidit,
Et comites geminas, quarum altera fluminis Arni
Venerat Hetrusci, latè dominantis alumna,
Antiquo illorum de stemmate creta, leone
Aurato & viridi quibus arma insignia fulgent.
Dum Regina suæ suspensa in imaginis heret
Adspectu, atq. hic ora sui quoq. picta mariti
Vestigare oculis pergit. Nulla exstat imago
Illius hic, inquit Sapiens, nec quærere frustra
Hanc insiste, latet vallis regione propinqua,
Et statuæ socia est, qui plurima lusit, Vlyxis.
Nec plures opus est, Veneris iam visere porro
Qui domitas habuêre faces: lustremus & illos
Sobria qui sicca peregerunt tempora vitæ,
Atq. epulis, donisq. modum posuêre Lyæi,
Et ventrem sibi non ventri submittere sese
Prudentes, temerè nihil indulsêre saliuæ,
Parua sed affectas recreantia corpore vires.
Adspice candenti Pylius de marmore Nestor
Primus in his, potuit leuiter qui tempora longa
Ferre grauis senij, mensæ quia margine paruæ
Contentus, paruóque epulans facilique paratu,
Fecit vti sano sibi mens in corpore sana,
Et validi starent animóque & corpore nerui,
Ergo senex Græcos sana plus robore mentis
Iuuit, & Iliacas molimine subruit arces
Ingenij mage, quam ferro expugnauit Achilles.
Hunc etiam specta qui Rex Lacedæmonis olim
Sobrius & siccus, ciues quoq. viuere paruo
Contentos docuit, cultúsq. horrescere molles,
Viueret vt forti sub pectore mascula Virtus.

Hic Epaminondas, patriæ quo sospite sospes
Gloria, & exstincto patriæ decus occidit vna.
En saluum vt præfert clypeum, vocémq. videtur
Mittere, SIC MORIENS, inquit, MODO NASCOR AMICI.
Paupere tecto idem tuguri, cultúq. beatus,
Fluxa leues animas capientia munera, semper
Fallacis contemsit hera, parcúsq. loquendi,
Pro re pauca solens fari, sed plurima scire,
Et gerere. His dictis, sero iam vespere pausam
Fecit Aristoteles, cernens Hyperione lapso
Littus ad Hesperium, biiugos succedere Noctis.

PRÆVIA VENTVRI SOLIS.

EGRESSVS cum Regina eiusque comitatu ex Timiditatis palatio, Aristoteles, in cliuum ascendit, vbi domicilium est Temperantiæ, constructum marmore partim candido, quale Parium, partim roseo, quale Porphyrites marmor Ægyptium, quod rubere ait Plinius c. VII. lib. XXXVI. Duæ præterea statuæ sunt ad portam ipsam vestibuli positæ, sustinentes vtrinque fornicem siuę arcum. Quarum illa ex iaspide rubenti est, qualis purpurea iaspis apud Plinium c. IIX. lib. XXXVI. Hæc autem ex Pario marmore candore insigni. Prior illa palatij Temperantiæ materia & statua, nempe rosea, valetudinis integræ significationem habet, cuius nota esse consueuit coloris bonitas, tanquam rosa in ore purpurascens: posterior est indicium castitatis. Ac valetudinis quidem statua, coronata cedro est, & amaranto: nam hæc durare possunt, & quasi valere diutissimè. Castitatis autem statua serto ex oleæ myrtique ramulis implicato, redimita est. Non temere. Nam de Castitate nunc Aristoteli sermo est, non tam illa virginali, quàm ea quæ nuptiarum & matrimonij propria est. Est autem oliua castitati amica, itaque sacra Mineruæ: Myrtus verò arbor est Veneris. Arbores autem hæ, cognatione quasi naturæ, quam συμπάθειαν Græci vocant, arctissimè tenentur, vt est apud Theophrastum c. XVI. lib. III. de causis stirpium. Qui cum dixisset, Oleam & Myrtum esse amicas, deinde subiungit. τὰς τε γὰρ ῥίζας συμπλέκεσθαι φησὶ τῶν δένδρων Ανδροτίων, καὶ τὰς τοῦ μυρρίνου ῥάβδους φύεσθαι διὰ τῶν ἀκρεμόνων τῆς ἐλαίας. Quod Latine interpretor. *Nā & radices earū implicari ait Androtio, & myrti ramulos inter oleæ ramos & quasi tabulata, inrepere.* Cōsociatis igitur oleæ Myrtique ramis, castitas maritalis aptissimè coronata est, in qua & pudicitiæ & Veneri locus est. Valetudinis autem & pudicitiæ statuis ornatum est Temperantiæ limen, vt primo statim adspectu planum fieret, abstinentia in cibis, sobrietate in potionibus, & pudicitia siue castitate, integram valetudinem & florentem diutissimè conseruari. Easque laudes qui habent, his viridis & honorata contingit



A. Palatium Temperantiæ.
B. Statua Temperantiæ cum corona ex amaranto & vitice.
C. Effigies Bacchi vincti & adligati, nota Temperantiæ refrenantis voluptates ſaliuæ.
D. Venus & Cupido vincti, nota Temperantiæ coërcentis libidinem.
E. Cedrus arbor, nota durationis & valetudinis.
F. Vitex ſiue ἁγνός, nota caſtitatis.
G. Ariſtoteles.
H. Regina Margarita, Galliæ regis F. Sabaudiæ principis coniux.

ſenectus:contráque,vt inquit M. Cicero *libidinoſa & intemperans adoleſcentia, effœtum corpus tradit ſenectuti.*

Qva pvlchrior vlla vix alia.

Temperantiam virtutem eſſe ait præſtantiſſimam. Eſt enim hæc virtus conſeruatrix prudentiæ, eáque dignitas in ipſo nomine ſignificatur. Dicta enim à Græcis temperantia *σωφροσύνη*, tanquam *σώζουσα τὴν φρόνησιν*, id eſt *conſeruans prudentiam*, vt eſt apud Ariſtotelem ipſum cap. v. lib. vi. ad Nicom. Eáque mente Plato in Cratylo *σωφροσύνην*, id eſt temperantiam, eſſe dixit *σωτηρίαν τῆς φρονήσεως*, ſiue *conſeruationem prudentiæ:* Et Iamblichus eam ex Homeri ſententia eſſe ait, quaſi *σῶαν φρόνησιν*, ſiue *ſaluam & incolumem prudentiam.* Et Hierax philoſophus eandem eſſe ait *τήρησιν καὶ σωτηρίαν τῆς φρονήσεως*, id eſt, *cuſtodiam & conſeruationem prudentiæ.* Et interpres Euripidi in Hippolytum, hanc ait eſſe *virtutem ᾗ σώζομεν τὰς φρένας*, ſiue *qua conſeruamus mentem.* Stobæus ſermone xxxvii.

Cingit ei myrto Paphia, &c.

Oliua caſtitatis amica, tantopere quidem vt à ſcriptoribus rei ruſticæ proditum ſit, lætius eam prouenire ac vberiorem fieri, ſi pueri, & puellæ caſtæ quotannis baccam eius legerint. Sic enim à Florentino commemoratum eſt in Geoponicis lib. ix. & repetitum à Palladio Rutilio Tit. vi. lib. i. de re ruſt. Myrtus autem arbor Veneris, Pauſanias in Eliacis lib. ii. *ῥόδον καὶ μυρσίνην Ἀφροδίτης ἱερὰ εἶναι, καὶ οἰκεῖα τῷ εἰς κάλλος λόγῳ*, id eſt, *Roſam & Myrtum eſſe ſtirpes Veneri ſacras, propriéque attinere ad rationem pulchritudinis* &c. Eademque Seruius ad ii. Georg. & Æneid. v.

Sedet hic vestali schemate virtvs.

In area ipſa ſimulacrum ſedet Temperantiæ, ſpecie, figuráq. virginis veſtalis, ſed coronatæ floreo ſerto, & dextra lychnum tenens, læua agnum. Hæc enim Virtus florentes ſeruat, lucémque rationis puriorem & caſtos ac pudicos facit. Ergo & ſedet à dextra eius Bacchus vinclis conſtrictus, à læua Venus & Cupido. Ipſius verò Temperantiæ ſedem opacant cedrus & vitex. Cedrus nota durationis incorruptæ, vt res populariter nota eſt: vitex autem caſtitatis & Pudicitiæ, nam reprimere creditur Venerem. Dioſcorides cap. cxxxvi. lib. i. Plinius cap. ix. lib. xxiv. Ælian. de animalib. c. xxvi. lib. ix. Etymologiſta in *Ἄγνος*. Hinc etiam vitici nomen Græcè, vt *ἀγνός* diceretur.

Sed plvrima in ipsis porticibvs.

Paucis nunc Ariſtoteles temperantiæ vim exprimit, eiuſque materiam declarat, nempe illam verſari in voluptatibus iis refrenandis, quæ vel ex ſapore vel tactu percipiuntur. His enim voluptatibus deleniti atque corrupti, propriè dicuntur intemperantes. Cauſam expreſſit Ariſtoteles Probl. ii. & vii. Partis xxix. nimirum, quia, inquit, adtrectatio, & corporis titillationes, cum beſtiis homini magis communes, quam

vllo alio ſenſu perceptæ voluptates. Harum igitur voluptatum genus nunc infamat Ariſtoteles, ac docet quibus propter earum operam malis, homines confliƈtentur. Nam & mentis aciem, & rationis reƈtæ ſiue prudentiæ lumen præſtinguunt, & famæ vulnus infligunt, & inertiæ mancipatos homines tenent, & *ad incitas*, vt aiunt, ſiue anguſtias rei familiaris, & mendicitatem deducũt, & vt paucis multa compleƈtamur, hominem exuere cogunt ex homine, ſiue homines tanquam Circæa potione, conuertunt in belluas. Præſertim autem illæ quæ percipiuntur taƈtu voluptates, nocentes ac peſtiferæ ſunt, hominémque de gradu mentis deieƈtum, deprimunt infra tardæ languidæque pecudis condicionem, vt non minus ſanƈtè quam ornatè & copioſe demonſtrauit Laƈtantius Firmianus c.XXIII.lib.VI.

NEC VERO EFFIGIES TANTVM.

Non temperantes, ſolum ſed & aliarum virtutum compotes in hoc Temperantiæ palatio eſſe ait, innuens omnium & animi & mentis, ſiue & aƈtionis & cognitionis virtutum quaſi ſolum ac fundamentum eſſe Temperantiam.

HOC PAGASÆA VIDEN' ALCESTIS IN AGMINE.

Ingreſſus iam Ariſtoteles cum Regina in palatium Temperãtiæ, pergit porro ei demonſtrare ſtatuas illorum qui pudicè ac pudenter vitam egerunt. Qualis Admetus olim Theſſaliæ rex, eiuſque coniux Alceſtis, quæ nemine ciuium ac ne parentibus quidem ipſis pro ſalute principis ad mortem ſeſe offerentibus, ipſa id vltro expetiuit. De quo argumento tragedia exſtat Euripidi, & narrauit Ioannes Tzetzes hiſtoria LIII. Chiliad.II. Sed refellit hæc omnia Palæphatus.

COMES HVIC EST ICARIOTIS.

Altera ſtatua eſt Penelopæ, cuius pudorem ac pudicitiam, & Homerus, & omnes deinde Homeri veſtigiis ingreſſi poetæ, mirificis in cælũ laudibus extulerunt. Longiſſimè tamen ab his diuerſa interpres Theocriti narrauit in eclogam VII. & Seruius in ecl. Virgilij II. Acro in epiſt. II. à quibus non diſſentit M. Cicero, qui lib. II. de nat. Deor. ex Mercurij cũ Penelopa congreſſu natũ eſſe ait Pana, Idemque à Plutarcho attingitur lib. de inter. oraculorum Iulianus etiam Cæſar in epiſtola ad Callixenã τὴν Πηνελόπην, inquit, ἐπαινουμένην χεδὸν ὑπὸ πάντων ἐπὶ τῇ φιλανδρίᾳ, id eſt, *Penelopam panè ab omnib. laudatam quaſi amantiſsimam viri.* χεδὸν ſiue pænè dixit, nõ neſcius, multos huic de caſtitate Penelopes opinioni reclamare. Et L. Seneca epiſt. XXCIX. quaſi rem dubiam poſuit plenamq. controuerſiæ. *Quid inquiris*, inquit, *an Penelope impudica fuerit, an verba ſæculo ſuo dederit?* Plane autem quaſi omnium procorũ amica potius, quam cuiuſquam inimica fuerit, eam irriſit auƈtor, ſiue auƈtores illi potius, obſcœni carminis, quod Virgilij Maronis caſtiſſimo poemati tanquam regiis teƈtis pulcherrimè *cælatis & laqueatis* cloaca, ſubiũgitur. Pauſanias quoq. in Arcadicis ſiue lib. IIX. traditum eſſe ait à Mantineis, Vlyxem cum is à Troia reuertiſſet, Penelopæ nunciũ remiſiſſe, quod ſuſpeƈta eſſet nomine adulterij. Itaq. Lacedæmonem eam reuertiſſe, ac inde Mantineã ve-

K

nisse, vbi & è vita excesserit. Et Lycophron in Alexandra sic Penelopam depingit.

ἡ δὲ Βασσάρα.
Σεμνῶς κασωρεύουσα κοιλανεῖ δόμους.
Sed Bassara
Virosa & impotens, exhauriet domum.

Quem in locum adnotauit interpres Isacius, Durin Samium in scriptis reliquisse, Penelopen ita in procos omnes piam fuisse, vt illi fratres eius essent, ipsa omnium soror. Sed pergamus sanè ad alia, neque cogamus poëtas quasi ad iuratos iudices, pro testimonio verum dicere.

ILLE SED INTEREA LVDIT.

Ait non esse in eisdem sedibus aut regione Temperantiæ Vlyxem, sed in valle tenebrosa Intemperantiæ: respiciens eò, quod Vlyxem Calypsonis & Circæ, aliarúmque amoribus poetæ infamarunt, vt patebit die sequenti.

NVNC ADSPICE TECTO INTERIORE DOMVS.

Artemisia coniux Mausoli, quem Cariæ terræ regem fuisse aiunt, melius quàm alij Satrapam, siue magni regis præfectum, vt patet oratione Demosth. de Rhodiorum libertate, & commentario in eam Vlpiani. Hæc viro exstincto, præ magnitudine desiderij cum ossa eius & cineres contusa in puluerem, & aquæ indita sic tanquam sitiens obbibisset: sepulchrum præterea vel fanum ei fecit tanta magnificentia & sumtu, vt inter opera orbis terræ prodigiosa numeretur. Hoc ita multi narrarunt, vt indiligenti a videri possit in re tam vulgari esse diligentem. Illud non alienum fuerit paucis adiungere, quod à Græcis nonnullis vt Theopompo apud Suidam, proditum est, & tangit quoq. Geographus lib. XIV. Artemisiam magnitudine mœroris confectam & luctu, contabuisse.

AT HIPPOLYTI SEQVITVR, &c.

Hippolytus insigni castitate, filius Thesei Atheniensium regis, cum decreuisset nunquam se Venere vlla contaminare, ac nouerca deinde complexum eius amore inflammata peteret, constantissimè recusauit. Atque hoc etiam argumento, in manibus est tragædia Euripidi Græca Hippolytus coronatus, & Latina item alia L. Senecæ. Persimilis de adolescentis Comminij castitate, apud Plutarch. narratio est in Parallelis.

RESTITIT HÆC FATVS SAPIENS.

Cum auctor in palatio Temperantiæ, dignum Reginæ pro singulari eius ac perpetua totius vitæ castitate locum assignare vellet, inter alias eiusdē ætatis insigni castitate Heroinas, Aristotelē his dictis conticuisse ait, quoniam hoc ipso tempore in atrio illo, Regina pænè viuam ac spirantem oris sui adspexit imaginem, & præ modestia erubuit. Est autem hæc illa Reginæ imago, quam à principio libri auctor dixit à Zeuxide,

pingendi ac diuinandi artifice in atrio Temperantiæ depictam fuisse, in eáque Reginam ab Aristotele agnitam esse, cum primum ad veri ciuitatem adpropinquauit, vt intromitteretur.

ET COMITES GEMINAS.

Intelligi vult comites Reginæ puellas honestissimis familiis natas, quibus cum Regina plurimum delectaretur, eas potissimum ex omni suo comitatu socias tunc sibi adiunxit, huiusce ad virtutem ac beatitudinem profectionis. Harum altera Philiberra Sessalia, filia Marchionis Cameræ: altera Petri Tornaboni filia, quam habet in marrimonio Iulianus DELBENE, eques ordinis D. Mauricij & Lazari, filius auctoris huiusce operis.

NVLLA EXSTAT IMAGO ILLIVS HIC.

Virtutum laudatio & vitiorum reprehensio, poeticæ pene propria est materies, vt ex Aristotelis lib. de poëtica licet intelligi, & oratione Maximi Tyrij, qua laudauit poëticam. Quare cum auctor Temperantiæ nomine complures ætatis suæ homines non fictè aut fallaciter, sed verè sapientérque dilaudauerit, nunc quoniam in ipsa veri ciuitate constitutus est, in qua non modo falsi aliquid proferre, sed etiam veri vel tantillum silentio dissimulare scelus nefarium est, ignoscent æqui lectores, si aperrè palámque & liberè nonnullos qui memoria ipsius non castissimè vixerunt à Temperantiæ castris exclusit, non mehercle contumeliæ causa, sed quoniam ita lex operis quædam ab eo suscepti, poscere videbatur. Hisce auctor iucundè sanè, quasi illud in sacris olim præconis voce vsurpatum dixit, *Exesto*, & à Temperantiæ sedibus ablegauit eos, in vallem Intemperantiæ, perinde vt pastor ille apud Theocritum Ecl. 1. Venerem ipsam à tuguriolo, regno suo, longè abesse iubet gentium, *Abi*, inquit, *in Idam*, abi *in complexus Anchisæ*.

ἕρπε ποτ᾽ Ἴδαν

Ἕρπε ποτ᾽ Ἀγχίσαν. Itaque inducitur nunc Aristoteles admonens Reginam, ne frustra multam operam ponere velit in requirenda sui viri Emanuelis Philiberti imagine. In palatio enim illam depictam esse Intemperantiæ, propter imaginem Vlyxis, vt die sequenti patebit.

ADSPICE CANDENTI.

Positis multorum exemplis, qui domitas habuerunt libidines, nunc Aristoreles de statuis adiungit eorum qui parce, abstinenter sobriéque vixerunt, vt Nestor ille *trisæclisenex*, & *dulcioriloquus* dictus à Poeta Næuio. De huius enim frugalitate, non difficulter coniectura fieri potest ex his quæ Homerus Iliad. lib XI. narrauit, vbi ancilla Nestoris Hecamede, Arsinoi filia, mensam ei adponit, non epulis exquisitissimis exstructam, sed modico & pertenui adparatu. Hic enim epularum ei adpositarum quasi index ab Homero describitur. Cœnæ caput,

A. Gel. c. VII. lib. XIX.

capiti nomen debentia cape.

Accessit fauus mellis, & panis. O mensam regalem, qualem nunc sit, non dicam, *munifici gregario*, sed fossori aut caprimulgo adponeres, vitam sibi præ tanta victus parsimonia & asperitate, vitalem non esse proquiritaretur. Sed Nestori tamen ea victus moderatio ac tenuitas, vt inquit iam Aristoteles, & vitam diutissimè propagauit, & mentis aciem ita indidit acrem, vt ipse consiliis suis citiùs quàm Achilles armis, Troiam cepisse videatur, sapiensque apud Homerum Agamemnonis exclamatio sit optantis decem, vt ipse loquitur, συμφράδμονας, id est *consiliarios* Nestoris haud dissimiles, breui enim futurum vt talium virorum consiliis, Troia exscinderetur.

Hvnc etiam specta.

Lycurgus non ipse tantum frugi ac sobrius, sed Lacedemoniis etiam suis auctor vitæ sobriæ & frugalis. Acres autem siue acriter intelligentes abstemij, vt Lycurgus ille alter Thraciæ rex. De quo Virg. in III. Georg.

Parcvsq. loqvendi.

Attingit Spinthari Tarentini hominis dictum illud commemorabile, de Thebano Epaminonda Græciæ facilè principe, qui cum ei vsus magnus & consuetudo intercesserat. Μηδενί που δὴ καθ' ἑαυτὸν ἀνθρώπων ἐντετυχηκέναι μήτε πλείονα γινώσκοντι, μήτε ἐλάττονα φθεγγομένῳ, id est *Neminem in omni vita sibi videre contigisse hominem, qui & plura sciret, & pauciora loqueretur.* Sic enim à Plutarcho expressum est in lib. de genio Socratis, & lib. de ratione audiendi. De frugalitate autem Epaminondæ, & voluntaria paupertate, Plutarchus in Pelopida narrauit, & multa in lib. de genio Socratis, & in apophtegmatis Epaminondæ. Æmilius item Probus in vita eius. Ælianus in variis cap. v. lib. v. Ioannes Grammaticus historia CCCXLVI. Chiliad x. & alij sexcenti, quos recensere omnes ambitiosum potius quàm vtile aut elegans videretur.

DIES OCTAVVS, IN QVO DE INTEMPERANTIA.

LINQVEBAT vetuli surgens Aurora cubile
Non inuita viri, Solem de more precari
Cœpit Aristoteles. Sol, dixit, lucida mundi
Temperies, tua nunc si altàs optabilis vnquam
Praua lux nobis. Vallem lustrare scelestam
Ingredimur, sedes vbi spurcas ipsa locauit,

Squallentiq. Intemperies se iactat in aula.
Sic ait, & vallis nebularum vellere operta,
Transit in aduersum limen, dehinc ordine pandit
Singula Reginæ, Sole inradiante parumper,
Et retegente omnes latebrosa in valle recessus.
Ecce forum primo venales limine merces
Inquit, habens Veneris, variásque cupedinis artes,
Inlecebrásq. omnes, fucos, mangonia formæ,
Fercula regifico luxu, carchesia Bacchi
Nectari & ambrosiæ summi Iouis æmula: postes
Ornati Venerisq. rosa, Bacchiq. corymbis.
Adspice liuenti hanc aram de marmore: pallens
Hic Intemperies sedet, illi dexter Iacchus,
Nebride succinctus, redimitus tempora serto
Ex hederis, thyrsóq. nitens, sua pocula miscet:
Aliger à læua Veneris puer, oscula figit.
In faciem effigiati omnes pallore virentem,
Vt soliti Venus & vinum quos fregit, in omnésq.
Artus se insinuans languore oppreßit inerti.
Vmbram aræ hinc faciunt platanus genialis, & inde
Vertice baccifero Veneri gratißima Myrtus.
Ante pedes illis prostrata in limine primo
Recta, nefas, Ratio est, pedibus quam proterit omne
Vulgus in hæc penetrans se tecta furenter: at illi
Sæuius insultant, quos ardens purpura vestit,
Diuitiæ quibus, & faciendi impune potestas
Quidlibet, adsiduè tacito sub pectore dictant
Plurima, quæ fieri Rationis formula recta,
Et prohibet turpi reuocans à limine virtus.
Sic fatus Senior monuit penetrare volentes
Reginam & comites: Premere hanc in limine vestris
Effigiem pedibus sit cautio, dixit, & vltra
Ardua suspenso vestigia ponite gressu.
Iámq. aditu primi superato liminis, ingens
Porticus à læua, dextra inremeabilis error,
Et Labyrinthæa cæcum vertigine tectum,
Ingreßis patuit. Prius hoc lustrabimus inquit,
Dius Aristoteles, tecti penetrale dolosi.
En Labyrintheis non est in flexibus illis,
Dædaleo veluti Minois carcere taurus:
Agmina sed volucri percußit arundine pectus

Quorum cæcus Amor. Valet aucupis arte Cupido.
Captat aues auceps, amitésque & retia tendens:
Aut pedicis fallit, viscíue volumine tectis
Tangit arundinibus: sed in hanc magis exserit artes,
Corporis egregij si qua, & prædiuite pennæ
Vellere conspicua est, & versicoloribus alis:
Sic amor est. Humili non tam de plebe gregales
Captare & capere insueuit, quàm murice & auro
Fulgentes proceres. Hæc illi maxima præda est.
Ille viden'? Troiam vt caperet qui maior Atrides
Venerat, est captus flauæ Bryseidis aura,
Quam domino rapuit seruam male-sanus Achilli.
Ut gremio mentum mentémq. fouentis amicæ
Deposuit; fortis Veneri, contendere dictis
Strenuus Æacidæ: belli in certamina segnis.
Parte alia furit Æacides, spoliatus amica,
Et sedet ante rates, proiectus casside & hasta
Flebilis, & citharæ strepitu solatur amorem.
Sicuti cornuto victus certamine taurus,
Formosa iunice piger postquam excidit, abdit
Se latebris mœrens, & sola per auia fertur.
Nec procul hinc Circæ fruitur, dare cautus Amori
Vulpio Sisyphides ludum, sollérsq. alieni
Cultor agri, proprium sine cultu deserit aruum,
Et furit, interea dum sicca & sobria curat
Penelopea domi: versa vice filia Solis
Æolidæ male-fida suo, fert sacra sacerdos
Multiuagæ Veneri, sociisq. indulget Ulyxi,
Extremóque sui satiatos nectare amoris,
Vertit in ora suum, & turpi grunnire subegit
Conclusos in hara. Sic olim pastor Vlyxes
Qui sapiens populi, mutata est sorte subulcus.
Impulsi in Veneris cœnum, prouoluere porro
Sic gaudent se deinde, sues vt corpus olentis
Obscœna cupiunt mersare voragine lamæ.
Fortè sed & dubites Labyrinthi quale recessu
Interiore illud specus inlætabile, pigræ
Stant vbi circum auræ, & picea caligine cælum,
Quò neque nunc, præter solitum rutilantia Phœbi
Ora suum penetrare diem potuêre, sed horret
Sic media sub luce, velut nox incubet alis

Intempesta. Luto fictas habet angulus ille
Vulgiuagæ Veneris neptes, popularia quondam
Coniugia, vt Phrynas, vt Laides, hoc genus omne.
Vix ea fatus erat, Regina exterrita læuo
Omine, repreßitq. retrò vestigia, & illam
Absistens procul est animo exsecrata mephitin.
Iámq. poli medium transcendens Cynthius axem
Decliues agitabat equos, cùm cetera pergens
Exsequi Aristoteles, Spaciis ne excludar iniquis,
Porticus ad læuam superest, hanc visere tempus,
Vt porro spectemus, ait, quos illa recessu
Continet effigies: non est hæc ganea quanquam
Multum digna oculis quæ perlustretur honestis.
Namq. suo hi Baccho fidi Cererìq. clientes,
In se dum properant inuergere sæpe liquores
Vitigeni latices, crebrísq. madere culullis,
Exstinxêre facem rectæ Rationis, & ipsos
Fecerunt hebetes ad vitæ munia sensus.
Aut epulis auidi nimium incubuêre paratis,
Atq. gulæ preßi sæua dicione furentis,
Non vnquam cælo potuêre adtollere mentem.
Adspice purpurei longo stant ordine reges,
Omnes pampinea redimiti tempora fronde,
Lasciuæ aut teneris hederæ ora superba corymbis
Vmbrati. Ante omnes viden'? hic Dionysius olim
Sicaniæ dominus, sæuáq. tyrannide princeps.
Nunc etiam sitire merum, sitire cruorem
Dixeris, in vultu tanta ebrietatis imago
Et crudi species animi sedet. Adspice iuxtim
Dictus Alexander quondam meus, & mea doctus
Dicta sequi, & rectæ rationis viuere lege.
Idem postquam Asiæ populos & regna subegit,
Omnia ceu rapidi peruadens fulminis alis,
Temperie, dominâque procul Ratione valere
Iussa, deliciis totum se immersit, & inter
Agmina mœcharum, scurras, mollísq. clienteis
Bassarei, didicit bacchari, & stertere multo
Depositus vini certamine. Cantharus illi
Pro clypeo, scaphium galeæ succeßit, equinæ
Florea serta, iubæ, suprema in caßide pinnas
Ingentes, niueas, solitæ distinguere tractu

Puniceo: didicit geniales dextera talos
Vibrare, & Venerem iacere, hastas strenua quondam
Hostis in aduersi pectus torquere, rigénsq.
Palliolo malaco, cessit lorica: vicémq.
Bucephali, torus expleuit de flore beato
Fartus Acidaliæ, & nocturna in bella paratus.
Sic Bacchi & Paphiæ factus de principe seruus,
Obruit assiduo Rationem flumine vini, &
Militia Veneris: vitio non deditus vni.
Tanto sæpe magis felici sidere fossor,
Quàm rex aut fatuus, dias in luminis oras
Editur. Ecce alij reges multi atq. tetrarchæ,
Cypridis aduersum specus hoc inamabile, limis
Suauiter vsurpant oculis. Amor omnibus idem.
Iamque aderat Vesper solito sufflamine linguam,
Offusisq. oculos tenebris vincire paratus;
Cum propero Sapiens hæc nobis edidit ore.
Vltima nunc est meta super: Lustratio spurci
Illius ecce antri, tenebris vbi vulgus opertum
Arte voratrinæ certat, studióq. bibendi
Censetur, superare ipsas non segne crocutas
Ingluuie, aut rapidis Stymphalidas vnguibus acres,
Ventris proluuie spurcas, & ponè fluentes
Turpiter: at calices eadem plebecula siccat
Innumeros numero, & Lenæi flumine mentem
Obruit insano, ac velut alta in dolia longus
Deciderit serpens, bibis ac vomit. Eminet illo
Agmine Aristippus quasi dux & signifer, æquis,
Quotquot sunt, natus Vertumnis: callidus omnes
Sæpe chamæleo vti, variata pelle colores
Induere. Huic positum hoc leue sicco è pumice signum est.
Ponè Philoxenus hunc sequitur, gruis improbus olim
Poscere qui solitus longissima colla, saliuæ
Longius in longo vt fluitarent gutture gratæ.
Sunt alij deinceps, Epicurus cum grege multo,
Insipiens quos edocuit sapientia cursum
Flectere de meta Virtutis, & aspera primo
Illius intrantes mordentia limine, longè
Omen vt aduersum fugere, adproperare Voluptas
Quo lenociniis animum vocat, improba Siren.
Hanc summam esse boni, Virtutes nomina tantùm:

Extra

Extra quàm Venus & Venter quod dictet, honestum
Esse nihil: cum corporea quoq. mole perire
Socratis & suis aquè animam. Furor impius ille,
Perdidit innumeros lymphatis mentibus olim,
Atq. hodie perdit, quamquam sub lumine Veri
Perspicuo magis, & cæli adspirantibus auris.
Sic fatus Senior, iam præcipitante diei
Littus ad Hesperium supremo lumine, transit
Vallis in aduersa regionem, limite cæco
Sub terra. Ingressis domus hic adparuit ingens,
Clusaq. sollicitè clathris, atq. obiice crebro.
Nulla ibi comparent hominum vestigia clusas
Ante fores, steriles circum agri, & sentibus hirti.
Inclusos ibi tum magno clamore vocamus,
Pulsamúsque fores saxis, cubito, pede. Frustra.
Nemo audit, tanto aut strepitu excitus ostia pandit.
Ergo velut nullis habitatas linquimus ædes,
Oppressisue stupore graui, aut torpere veterno
Adsuetis, velut hiberno sub sidere glires.

SOL, DIXIT, LVCIDA MVNDI TEMPERIES.

Cum virtuti, cuius quidem locus ac regio semper media est, & semper vitiis, quæ virtutis quasi metam aut deserunt, aut transcendunt, eadem subiecta sit materies, nempe adpetitus ac perturbationes animi: sapienter intellexit auctor sibi licere domicilia virtutibus ac vitiis eadem materia structuráque ponere, variatis tantum ac mutatis eorum statuis & imaginibus, referentibus speciem ac similitudinem eorum, qui fuêre olim aut hodiéque sunt virtutum illarum aut vitiorum habitu insigniti.

Egressus igitur octauo nunc profectionis suæ die ex palatio Temperantiæ, per læuam atrij portam Aristoteles, descendit in subiectam vallem, vbi regio & domus est Intemperantiæ. Huius ante ipsum vestibulum & limen, aream depingit latissimè patentem, vbi venale propositum sit omne genus epularum, potionum, delitiarum, odorum, quibus illecebris & lenociniis tracti homines, deinde Veneris ac saporis voluptatibus arctissimè irretiti tenentur. Limen verò ipsum intrantibus, ara se offert, in qua sedes Intemperantiæ sub specie figuráq. Veneris. Iuxta sunt statuæ, hinc Bacchi, inde Cupidinis. Ante statuarum pedes proiecta rationis effigies, vt quasi inferius portæ limen, pedibus introeuntium proteratur. Nam serui Intemperantiæ & cliẽtes proterũt & conculcant rationem, quidni? vt dominæ suæ gratificentur



A. Intemperantiæ palatium, ſtructura eiuſdem modi qua illud Temperantiæ, ſed caducum & ruinis deforme.
B. Effigies Intemperantiæ quam Cupido ſuauiatur F.
C. Bacchus pocillans quaſi heræ ſuæ Intemperantiæ.
D. Recta Ratio quam Intemperantia pedibus ſubiectam habet, & quaſi contemtim conterit.
E. Platanus ingens huic choro vmbram faciens.
F. Myrtus arbor ſacra Veneri.
G. Adparatus Gulæ.
H. Adparatus & inſtrumenta curandis morbis, gula crapuláq. contractis.
I. Fuci, pigmenta, odores, aliáque inuitamenta Veneris.
K. Mors voluptatibus accelerata.

quæ rationi & prudentiæ est aduersaria maximè. Illud præterea ex illa rectæ rationis obtritæ & conculcatæ specie miserabili colligendum est, libidinosos, impuros, intemperantes animos, tantò minus quàm ex aliis vitiis laborantes, odio & reprehensione carere posse, quod omnium maximè voluntariam atque idcirco turpissimam libidini suæ seruiunt seruitutem. Facilius enim multò est voluptatibus repugnare, quàm dolori, vt iam olim etiam præmonstrauit Aristoteles c. xi. lib. iii. ad Nicom.

His ita expositis, admonet Aristoteles nunc Reginam eiusque comites, vt suspenso Intemperantiæ domum vestigio, introeant, nec inconsideratè pedibus premant abiectam ipso in vestibulo & limine, Rationem.

INGENS PORTICVS A LÆVA.

Iam explicare ingreditur de vi naturáque Intemperantiæ. In huius enim quasi ludo ad voluptatem eruditos, tam effrenata vi concupiscendi & indomita esse, vt nihil eis in omni vita magis propositum sit, quàm perfrui voluptatibus illis, quæ vel ex tactu vel sapore percipiuntur. Atqui hos natura sensus nobis tradidit, non vt voluptatum fierent ministri & satellites: sed tactum quidem addidit quasi calcar, ad speciei propagationem, gustatum ad indiuidui conseruationem, siue vt homines singuli corpus suum vitamque victu cultúque necessario tuerentur. Veruntamen quoniam hi sensus vegetiores in homine sunt, quàm vllo in genere animantium, eò fieri videmus, vt acrius ac furentiùs veneris ac saporis titillatione homines, quàm tardæ languidæque pecudes inflamentur. Domicilium verò Intemperantiæ partitus est in haram helluonum, & Labyrinthum amoris: illam à læua posuit, hunc à dextra. Cum enim vitium ventris & gutturis cogat homines, vt Afranij hac in re verbum vsurpemus, *obbrutescere*, meritò gulones in haram auctor conclusit, tanquam sues stolidos ac immundos, sapientérque Homerus Odyssea decima cum declarare vellet, vitiosum illud

remigium Ithacensis Vlyssei

tantum abdomini suo natum fuisse, non laudi & gloriæ, commentus est, Circæ veneficiis omnes mutatos fuisse in sues. Labyrinthi verò carcer amori & libidinosis conuenientissimus est. Causam Lucretij verbis exprimamus licet:

Nam vitare plagas in amoris ne laciamur
Non ita difficile est, quàm captum retibus ipsis
Exire

Neque ambigo quin Labyrinthi specie, à poëtis amoris implicatio proprie declaretur.

VALET AVCVPIS ARTE.

Perquam eleganti vsus allegoria est, in qua inducitur Amor vice aucupis, animi humani specie auium, quarum illæ maiores pénis, purpura

auroq. depictis, vt regum ac procerum, aliæ minores, vt vulgi, quarum alæ vnicolores ac nigræ. Viscum dicit blandimenta & inlecebras amoris. Quemadmodum ille apud Plautum ad amicam adolescens

Viscus, inquit, *merus vestra est blanditia*

Citius autem reges illos & proceres opibus & copiis adfluentes, in amoris blanditiis tanquam visco inherescere ait, quoniam maiores habent ocij ac libidinis opportunitates.

ILLE VIDEN' TROIAM.

Regum vt fortunam, sic Intemperantiam ferè maiorem esse quàm priuatorum, peropportunè ostendit exemplo regum regis ad Troiam Agamemnonis, qui libidine ardens, flagitiosè amicam Bryseidē Achilli eripuit, & amenter illius viri animum offendit, quo vno spes victoriæ nitebatur: Alia parte Achilles, verbo quidem præmium & honorem, re ipsa & veritate amicam sibi ereptam dolens, libidinem suam, & suæ & publicæ dignitati anteponit, Græcósque ab Hectore opprimi facilè patitur, vt dolorem suum vlciscatur. Quo loco auctor inlustri comparatione, Achillem fecit tauro similem victo in certamine de iuuenca.

Nam persimile ac geminum illud Agamemnonis & Achillis libidine inflammatum discidium, pugnæ taurorum de iuuenca formosa decertantium. Qualem elegantissimè pugnam Virgilius pinxit lib. III. Georgicorum, & Ouid. principio lib. IX.

NEC PROCVL HINC CIRCA FRVITVR.

Vlyxes cautus ille quidem, sed parum castus, quippe qui neque à Calypsone sibi, neque à Circa & ceteris in peregrinatione illa temperarit. Claudunt vero ei latus non satellites, sed sues, socij nempe eius, quos Circa potionibus suis conuertit in pecudes. Itaque salsissimè in eum lusit auctor, iam illum esse non vt regem maximè decet, populi pastorem, sed subulcum verius.

SOLLERSQ. ALIENI CVLTOR AGRI.

Queri scilicet de Vlyxe suo Penelope potuit, quod de viro suo apud Plautum matrona illa. *Fundum alienum arat, incultum familiarem deserit.* Et vt Theognis olim dixit, ἐχθαίρω ἄνδρα μάργον, ὃς τὴν ἀλλοτρίαν βούλετ' ἄρουραν ἀρῶν.

Virum se odisse salacem,
Quisquis arare amens arua aliena cupit.

Sic ἀλλοτρίαν ἀροῦν *alienum arare fundum.* Sophocles epigramm. in Euripidem, apud Athenæum lib. XIII.

FORTE SED ET DVBITES.

Adiungit nunc extremum quasi gradum intemperantiæ, importunam scilicet libidinem summœnianarum vxorum, quas patrui, & εὐθυρρήμονες, rusticatim scorta, lupas, meretrices vocant: vrbaniores, vt aulici

& poetæ, amicas aut sorores, Catullus mœchas. His quasi suburram, adsignauit auctor, antrum in extrema labyrinthi parte, in eóque posuit statuas illis, quarum olim domus patuit omnium cupiditati, vt Laidis, vt Phrynes ac similium, quæ sese omnibus peruulgarunt. Sed Regina stabulum hoc lutulentum, impurum, inuisum, quasi malum auspicium detestata, pedem retulit, in eámque partem regressa est, vbi statuæ principum illorum, quibus olim lupulæ illæ, *summænianæ vxores* siue vt Diocletianus A. loquitur, *mercales vxores* non tam odio fuerunt.

IAMQ. POLI MEDIVM.

Libidinosorum regione lustrata, refugiens à Veneris grege impurissimo Aristoteles, inclinato iam in pomeridianum tempus die restare ait porticum, in qua ceu hara spurcissima, tanquam sues in cœno, volutantur in cibo & potione, vinolenti siue *bibones*, siue *bibiones*, aut *bibonij*, & illi qui signanter sanè à Latinis, *Helluones, gulones, gurgites, lurcones, comedones, fagones, edones, mandones, ventres, manduci, gumiæ, glutones, degulatores, nominati sunt*. Principe inter hos loco, Aristoteles ponit Dionysium superioris Dionysij Syracusani filium, hominem siue belluam potius, siti ac voracitate insigni. Huic Alexandrum discipulum suum adiungit, de cuius pergræcationibus & vinolentia & quasi cum Baccho ipso, perpotandi certamine, notissimæ historiæ.

CANTHARVS ILLI PRO CLYPEO.

Imitatus est locum Plauti ex Bacchidibus

Vbique imponat in manum alius mihi pro cæstu Cantharum,
Pro galea scaphium, pro insigni sit corolla plectilis,
Pro hasta talus, pro lorica malacum capiam pallium
Vbi mihi pro equo lectus detur, &c.

SVPREMA IN CASSIDE PINNAS.

Sic Plutarchus in Alexandro, galeam eius & pinnis & crista equina insignem fuisse. Ἦν δὲ, inquit, καὶ τοῦ κράνους τῇ χαίτῃ διαπρεπὴς, ἧς ἑκατέρωθεν εἱστήκει πτερὸν λευκότητι καὶ μεγέθει θαυμαστόν. *Erat & galeæ iubâ insigni, cui vtrinq. adstabat pinna, candore & magnitudine miranda*, &c.

TENEBRIS VBI VVLGVS OPERTVM.

Principes in porticu helluationis collocati: plebecula in antro quodam remotiore. Optimè. Nam sordes principum in aperto ac propatulo positæ sunt: priuatorum maculæ latent. In priuatis autem illis gulonibus Aristippus voluptarius philosophus excellit ceteris, item Philoxenus Eryxidis, siue Cytherius, siue Leucadius, aliter enim ab aliis nominatus est: bellissimus homo, qui collum gruis optare solitus fertur, quò diutiùs cibi & potionis suauitate frueretur. De quo iam olim Aristoteles c. IX. lib. III. ad Nicom. & lib. III. ad Eudemum Problemate VII. Partis XXIIX. Athenæus lib. I. & IIX. Suidas, alij.

ET PONE FLVENTES TVRPITER.

Imitatio illius Petroniani.

Tales Herculea Stymphalidas arte coactas
Ad cælum fugisse reor, panéq. fluentes
Harpias, cum Phineo maduere veneno
Fallaces epulæ

Illud, *panéque fluentes* &c. correxêre aliqui *pennáque fluentes*, idq. interpretati, *volantes*, vt Iustus Lipsius Antiquar. lect. c. IIX. lib. I. Sed Petronius videtur voluisse, *ponéque fluenteis*, pro, fluentes postica parte: ex illo Virgilij de Harpyis, *Turpissima ventris Proluuies* Et voluit scilicet Petronius, in *pone* syllabam producere, quam Virgil. corripuit.

CALICES PLEBECVLA SICCAT, &c.

Tangit conuiualem ritum, bibendi ad numerum literarum, quibus scriptum nomen amicæ aut amici.

SVNT ALII DEINCEPS.

Non pessimè pingit coloribus & penicillo suo *Epicuri de grege porcos.* docentes summum bonum esse in corporis iucunda titillatione. De quorum principe Epicuro eleganter sanè M. Cicero Ennij poetæ verbis lib. II. de natura Deor. *Sed* inquit, *dum palato quid sit optimum iudicat, cæli palatium non suspexit.*

DOMVS HIC ADPARVIT INGENS.

Domicilio Intemperantiæ & partibus eius cognitis, nunc Aristoteles cum Regina in vallem pergit, altera ex parte palatio Temperantiæ oppositam, in eaque ostendit sedem vitij, quod infra Temperantiæ mediocritatem est. Hoc autem, quia proprio vacat nomine, communi ab Aristotele dicitur ἀναισθησία siue stupor. Si quis nempe ita sit exsensus, siue nullo sensu, ita durus & immanis, vt tanquam stipes aut fungus, neq. doloris morsu, neque titillatione corporis vel tantulum moueatur. Tales quia paucissimi reperiuntur, considerate auctor ædes huiusce vitij depinxit in recessu & solitudine, ab omni commercio & societate hominum distantes, conuenientérque adiunxit, pulsatas quidem diu multúmque fores, & inclamatos habitatores, vt intromitterent: sed illos neque strepitu, neque clamore vllo excitari potuisse, quippe stupore oppressos, & omni sensu vacantes. Quare occidente iam sole in collem vicinum discesserunt, vt cum sole experrecti, in Magnificentiæ regionem & Liberalitatis proficiscerentur.

DIES NONVS, DE MAGNIFICENTIA ET LIBERALITATE.

COEPERAT Eoo desurgens æquore, lotos
Iungere Phœbus equos: sese in vestigia cœpti
Sermonis Senior referens, adfarier orsus
Reginam est. Oritur Sol, inquit, munere cuius
Lux & vita venit: sed enim præstantior illa
Vita, sui complet Ratio quam luminis aura.
Splendor in hac summus, species pulcherrima, cuius
Visio, mirificos accendere posit amores.
Fulgor enim si Auri tanta dulcedine mentes
Adlicit humanas, vitam vt sine munere tali
Vitalem esse negent, hoc cassos sanguine, manes
Inter, & Orciui numerent in parte peculi:
Esset amabilior quantò, si cognita, Virtus?
Qua sine nil aurum, nisi splendens luce maligna
Atq. insigne lutum. Sola est quam propter honestè
Aurum optes Virtus, quæras, teneásq. paratum.
Sola docet rectè largiri & parcere: sola
Conciliare potest auro decus, & dare partis
Lucem diuitiis. Sic fatus scandere collem
Cœpit in aduersum Sapiens, vbi surgit ad auras
Læta domus duplici distincta colore: virenti
Marmore pars dextra est, venisque interfluit auri:
Altera stat niueo de marmore, totáq. leui
Argento virgata nitet. Sublime columnis
Surgit marmoreis tectum, simulantibus illos
Qui vel magnificè regalia munera læti,
Aut modicis instructi opibus, tribuêre volentes,
Libero vti par est animo, non seruus herili
Vt iussu solitus, mediocria. Limina postquam
Hac sumus ingressi, & spirantes marmore vultus
De prasino & Pario suspeximus, inclyta partim
Obstupuêre oculi tanta miracula molis:
Partim animos sensu pertentauêre suaui

Gaudia. Stat medium ramis felicibus arbor,
Complexa impluuij spatium, geminóque minatur
Stipitis in cælum fecundo vertice. Dexter
Aurea mala gerens, pleno ceu Copia cornu
Fundit humi, Hesperidum seruata feruntur in hortis
Qualia, & Herculeo pretium cessisse labori:
Læuus habet nitidos argentea munera flores.

Has ita dum statuas, Regina & in arbore fructus
Miratur, tacitéq. oculos per singula ducit,
Insolita rerum suspensam in imagine, dictis
Vltro his compellat Sapiens. Quos arbore flores
Cernis in hoc, ait, & fulgentia poma metallo
Diuite, quæq; suo numeróque & tempore, nullo
Concutiente fluunt: quantúmq. & quando petenti
Conuenit & danti, sua quisque sub arbore mala
Et flores legit hac. Læuo sub stipite flores
Accipiunt, quos emerita fiducia laudis
Non ita commendat, sed commiseratio sortis
Humanæ iuuat. Hic viduas solatur egenteis
Munere, pupillósue aliquis, seniue trementis
Quos premit, & graue sollicitæ curuiscere cogit
Paupertatis onus, quasi magno pondere pressis
Incumbens humeris, offundénsq. ora rubore,
Tristitiáq. animos. Patet hic sociale petenti
Hospitium, mensa ieiunis dentibus acri
Instructa hîc epulis, & sospita focilat ægros
Cura ministeriis, & morbi tædia longi
Sedulitate leuat: male clusi carcere cæco
Insontes, aliquo redimuntur munere, sontes
Ipsi etiam inueniunt miseræ solatia sortis
Hîc aliqua, & dotem virgo, quæ nubilis olim
Indotata domi residet, sub paupere tecto.
Hi taléśq. fluunt læuo de vertice flores.

Aurea sed dextro fluitant sub stipite mala.
Scilicet in dubio Virtus certamine Martis
Cognita, & insignes quos fecit adorea belli,
Donati hinc abeunt, & ouanteis munere venæ
Diuitis. Haud minus hi studiis deuota Mineruæ
Semper, & ingenuas quos vita exculta per artes
Promouet, accipiunt, etiam maiora daturi,
Si saperent illi, Dominæ quos riuus inaurat

Fortunæ

Fortunæ liquidus, rerumq. capessere habenas
Iußit, & imperij reditus tractare beatos.
Hinc & sæpe frequens magni mercede redemtor
Abscedit maiore operis ditatus: ab illo
Artes impluerent nisi munera stipite, nullas
Scæna voluptates dare posset, comica vbique
Siparia, & tragici caderent aulæa theatri.
Non epulas festósque dies agitare per vrbes
Gauderent populi: ruerent celeberrima Diuûm
Fana, neq. exstrueret noua quisquam: thure calere
Nulla pio, aut sertis halare recentibus ara
Posset, Magnifico tantum sub pectore Virtus
Læta valet, tales producit in arbore fructus.
Quodq. magis mirêre, pluit de vertice læuo
Arboris, adsiduè quasi florum argenteus imber:
Arboris adsiduè dextro de stipite, sponte
Aurea præcipitant viuo quasi flumine, mala.
Semper enim gemina quantum fluit arbore, tantum
Summi lex æterna Iouis iubet vsque renasci.
Nec verò aut Boreæ frigus penetrale sonori
Hæ frondes metuunt: Solisue ardore propinqui
Torrentur nimio, curántue Canicula quantum
Cogitet Erigones rabere, & sata sidere diro
Vrere, rorifluo sed iugiter aëre gaudent.
Sed nunc has etiam, quas porticus ordine longo
Explicat hæc statuas, duce me cognoscere perge,
Regia progenies. Princeps hîc Phœbus Apollo
Ipse, & magnifico quasi ductor in agmine. Nullus
Æquè est magnificus. Vitam mortalibus ægris
Largitur, stellis radios, rebúsq. colores
Innumeros, terris fœtus, sua gaudia cælo.
Inferiore gradu positus, quo principe quondam
Florentes Solymæ. Raram quia fecit in illo
Cor sapiens, & dextra potens gestamine sceptri
Mixturam. Hinc gemino cæli pro munere gratus,
Condidit æterno templum mirabile regi,
Quod coluêre omnes, quâ Sol oritúrq. cadítq.
Tale fuisse nihil fassi, nil tale futurum.
Hic etiam Regina Carum celeberrima: struxit
Coniugis erepti quæ tristis amore, sepulchrum
Nobile Mausoli, vacuo velut aëre pendens.

Possidet haud procul hinc statuam, cognomine dignus
Magni rex Macetum, terræ notissimus orbi,
Magnificè magnis, quæ gentes sparsit in omnes
Et populos, priuásq. domos, ciuesq. merentes
Muneribus: neq. in hac illi contendere quisquam
Laude, pote ex facili, mortali semine cretus.
Innumeri testes, atq. hos non vltimus inter
Ipse ego. Magnificè nam me illius arca talentis
Instruxit, facerem quî sumtus, omnia magnò
Conductis operis, dum per miracula rerum
Scrutor, & in libros inuenta solóq. salóq.
Et cælo, refero variis animalia formis,
Vt replicata iuuent seros mea scripta nepotes,
Atq. legant oculis quasi pictum, singula sese
Vt moueant, pariant, viuantq. animata: patescat
Denique totius natura vt scæna theatri.
Hæc ita narrauit postquam dux noster, ad imam
Respexit seriem, cupiens quoq. cetera scire
Regina, atque nouos heroum discere vultus,
Quos noua mirantur virtutis lumine claros
Sæcula magnifica. Dilecti hic ora parentis
Vidit, & ingemuit, lacrimísq. fluentia tergens
Lumina, Me miseram, dixit, sum visa videre
Nunc quoq. magnanimo te pectore suspirantem,
Vt solitus cum sæua tuis Fortuna restaret
Auspiciis, tanti te principe digna retractans.
Consulta imperij. Sed nec prohibere fluentes
Largi magnifico valuit de pectore riuos,
Aut facere, ingenuis quin sedes ponere velles
Artibus æternas, Phœbiq. fouere clientes,
Sartáq. præstares castæ sua tecta Mineruæ,
Et noua substrueres, accires denique in orbem
Inuitans mercede tuum, quos laude madentes
Ingenij, quamuis alio sub Sole, bearet
Fausto per populos non inuida murmure Fama:
Non minus interea magnis Prætoria magnorum
Impensis operum strueres cum plurima, leui
Marmore, gemmatóque auri distincta nitore.
Quid memorem validè clusuras limite regni
Hostibus opposuisse tuis? munimine quorum
Vndíque tuta suos etiam nunc Martia fines

Posteritas colit, externi secura minarum
Orbis, quà Sol cunq. potest agitare iugales.
Hæc Regina ubi sic querula sub voce peregit,
Suscipiens Senior, gemuitq. & sæcula dixit,
Quàm fluerent terris felicia, læta fauentis
Præmia Fortunæ, si respondere labori
Virtutis niueo pateretur stamine fusus
Parcæ: sed paribus non semper paßibus ire
Virtus Forsq́; potest. Neque sic tamen abiicit hastas
Debilis, aut misera est, memini vt iam dicere, Virtus.
Sed properemus & hæc popularia visere signa,
Porticibus læuis quæ circum læta renident,
Vultúsq. illorum referunt, quos lumine recta
Inradians fecit Ratio, vt sine crimine largi,
Res angusta domi quibus est, succurrere vellent,
Et sua porrigere his, subigens quos turpis egestas
Poscere cogit opem: caro sed prima parenti
Altera tutelæ miseræ, lacrimabile cuius
Illos preßit onus, fido dehinc dona clienti,
Tertia at hospitibus, quarta his qui sanguine iuncti,
Quincta per adfines sparsa, & postrema per omnes,
Formula quos illis non iunxit ciuica iuris,
Ipsa sed humanæ iußit miserescere sortis
Conditio, similésque animo sibi fingere casus.
Nec verò hæc alios recipit pulcherrima sedes,
Quàm qui distribuunt hæc talia munera læti,
Sicut viua ruunt in apertos flumina riuos.
Ac neq. difficiles sitienti pocula præbent,
Vt puteus, latices atro de gurgite cuius
Hauriat immißo longe molimine restis
Nitaturq. opus est, vrentem qui sibi speret
Inde leuare sitim: neq. sic, velut aggere rupto
Pigri stagna lacus, verni sub temporis horam,
Sic temere in lamas spatiari, & inhospita tesqua,
Inq. specus tetros, & olentes ire mephites
Quæ paullisper amant, mox turpiter arida squallent,
Nec pisces domino præbent, nec grata vianti
Pocula. Nigrantis putei se habet instar Auarus,
Prodigus in stagni morem effluit: hos media inter
Sunt regione illi, quibus hæc in limina pandit
Sese aditus, qualiq. olim ratione fuêre

Largiflui, quorum hic simulacra nitentia cernis.
In primo viden' vt soror hic argentea Phœbi
Præmineat, ductrix velut agmine? Cynthius ipse
Dux est magnificis: soror eius Cynthia ductrix
Munificis. Simul hæc fatus, simul extulit altè
Dux oculos cælo noster, bigasq. citatas,
Et nitidam Lunæ properantis lampada cernens,
Conticuit, Solis metuens sine lumine fari.

HOC CASSOS SANGVINE.

Tangit adagium vetus, *Pecuniam esse hominibus sanguinem.* Legend. Artemidor. c. xxxv. lib. i. Plutarchus apud Stobæum Serm. ccxxx.

VBI SVRGIT AD AVRAS LÆTA DOMVS.

Magnificentia & Liberalitas virtutes nulla alia re differentes sunt, quàm intentione quasi & remissione largitatis, & seruandi in munerib. decori quadam distinctione. Magnifici námque in muneribus amplis ac splendidis: liberales in modicis & quotidianis seruant decorum. Illi publice magis, hi priuatim largiuntur. Itaque virtus regia magnificentia est, & principis maiestati conueniens, liberalitas autem vulgaris & priuata. Veréque olim Aristoteles dixit c. ii. lib. iv. ad Nicom. homines vitæ splendore magnificos, etiam liberales nominari posse, non autem etiam retro & contra:, beneficis & benignis omnibus deberi laudem. magnificentiæ. Quanquam igitur hæ virtutes non gradu aliquo tantùm aut externa conditione, sed vi naturáque ipsa differunt, tamen propter summam earum cognationem & similitudinem, idem atque vnum eis auctor palatium exædificauit, in duas tamen partes diuisum, quarum altera magnificentiæ propria est, altera liberalitatis. Magnificentiæ partem ex marmore splendido & virenti effinxit. Aptissime. Nam vt magnificentiæ splendor & amplitudo maior est quàm liberalitatis: sic virens Lacedæmonium marmor cæteris hilarius. Sic enim Plinius c. vii. lib. xxx. *pretiosissimi,* inquit, *generis marmor Lacedæmonium viride cunctisque hilarius.* Viride autem illud marmor quasi interfluentibus auri venis variatum atque distinctum facit, quoniam aurum magnificentiæ & splendoris maximum instrumentum est, & principis solius dignitati conueniens. Apage, dicet Alfius aliquis, ergo feneratores perierint: vellem pol quidem, sed tamen auri possessio priuatis cōceditur, publica largitio eius siue sparsio in populum, principi reseruata est. Sic enim Iustinianus Nouella cv. cum dixisset, missilia consulibus, numos argenteos tantùm permitti, subiungit: *Nam auri sparsio tanquam propria regiæ dignitati relinquenda est, cui soli eminentia fortunæ, facultatem largitur auri contemnendi: argenti autem mittendi, cuius proximum ab auro pretium est,*



A. Palatium Magnificentiæ & Liberalitatis.
B. Imago Magnificentiæ largientis poma aurea.
C. Liberalitatis effigies, quæ largitur flores argenteos.
D. Arbor à radice vna duplex instar citri, pars eius dextra malis aureis Magnificentiæ onusta est: læua floribus argenteis Liberalitatis.

ceteri consules facultatem habento. Sed & antè Iustinianum, mens eadem Theodosio l.1.C.Theodos.De expens.ludor.Denique sic pro auro tanquam pro imperij nota propria, aut potius tutela & quasi Palladio, principes Romani propugnauêre, vt reges Persarum, aliósq. omnes extra orbem Romanum principes absterruerint, vt si fortè aureos nummos cuderent, suam in his imaginem exprimere reformidarint. Nummos argenteos aliorum regum iconiis permisêre, suis reseruauêre aureos, vt summam imperij prærogatiuam. Eaque de re narrans Procopius lib.III.belli Gothici, solos Francorum reges ait exceptos fuisse, qui bona venia Imperatoris Iustiniani Massiliæ & Arelato nummos sua, non principis Romani effigie, aureos signarunt. Liberalitatis verò sedes ac domicilium ex marmore candido est, quale Parium aut Lunense apud Pliniũ c. v.lib.XXXVI. Candoris enim color tenuis & simplex, qualis priuatorum beneficentia & liberalitas. Idque marmor nunc quasi virgatum esse ait argento, quoniam vt Horatius dixit, & nemo nescit, *Vilius argentum est auro.* Benè autem, *lætam domum*, harum virtutum dixit. Liberalitatis enim est διδόναι καὶ δαπανᾶν ἡδέως. *Dare & sumtum facere libenter.* c.1.lib.IV.ad Nicom. Aptéque & moratè Catull.Epithal. Pelei.

Dona ferunt præ se, declarant gaudia vultu.

Neque disconuenit huic rei, etsi recta originatio non est, illa Isidori. *Liberalem dictum, quia libenter donet, nec murmuret.* Et L. Seneca concinnè c.III.lib.1.de benefic. Gratias Deas fingi *ridentes, quia promerentium vultus hilares sunt*, &c. Contráque apud eundem c.VII. lib.II. *Fabius Verrucosus beneficium ab homine duro asperè datum, panem lapidosum vocabat, quem esurienti accipere necessarium sit, esse acerbum*, &c.

Libero vti par est animo.

Dixit, *magnificè regalia munera* &c. tangens Magnificentiæ nomen: *libero* autem *animo* &c. respiciens ad Liberalitatis nomen, quæ dicta est, vel quia digna homine libero, vt videri vult interpres Terentij: vel *quia à libero animo proficiscitur*, vt L.Seneca c.XXIV.de vita beata.

Obstvpvere ocvli.

Ostendit magnificentiæ dignitate & amplitudine, homines in admirationem rapi & obstupescere: liberalitatis autem specie adlici amorem & beneuolentiam, vt iam olim declarauit quoq. Aristoteles cap.II. lib.IV.ad Nicomach.

Stat medii spacivm.

In communi Magnificẽtiæ & Liberalitatis quasi impluuio, citri vnius quidem sed geminatæ species depicta est, vnáque ex parte malorum aureorum copia, vt vetus poëta loquitur incuruiscentis: ex altera vero parte floribus tantum vestitæ, argenteis, nihilq. habentis nisi frondium ac florum amœnitatem. Qua imagine magnificentia distinguitur à liberalitate. Namque vt flores & folia fructibus, argentum auro: sic libe-

ralitatis munera magnificentiæ largitionibus ſuperantur. Quod autem virtutis vtriuſque commune eſt, vt voluntaria non extorta earum largitio ſit, hoc eadem arboris huiuſce pictura intelligi licet, quam talem exprimit nunc Ariſtoteles, vt malis ac floribus, in gremium eorũ quos æquum eſt accipere, per ſe ipſa ac ſua ſponte fluat, & quoties opus eſt. Pari enim ratione, Liberalitatis & Magnificentiæ laude florentis officium eſt, ſua ſponte ac voluntate, tali tempore menſuráque largiri, quæ & ipſius, ſiue dantis, & accipientis rationibus maximè opportuna eſſe videatur.

HIC VIDVAS SOLATVR EGENTES.

Alia Liberalitatis ac Magnificentiæ diſtinctio, ſumta ex varietate perſonarum in quas beneficia conferuntur. In aliis enim Liberalitati, in aliis Magnificentiæ locus eſt. Liberalitati in priuatos ac tenuiſſimis opibus homines: Magnificentiæ in lautiores, & qui aliquo ſint numero & loco. Ac primum recenſet homines tali conditione, vt deſiderare poſſint alienam Liberalitatem & munificentiam, vt viduas mulieres, ſenes homines, pupillos, & id genus alios, quibus auctor effinxit beneficia dari ſub læuo ſtipite arboris, vnde folia tantum defluunt & flores.

INCVMBENS HVMERIS.

Vt Theognis olim queſtus

Α δειλὴ πενίη, τί ἐμοῖσι καθημένη ὤμοις
Σῶμα καταισχύνεις καὶ νόον ἡμέτερον;
Ah mala paupertas, humeris quid tu incuba noſtris,
Corpus & ipſum animum, ſic mihi turpificas?

AVREA SED DEXTRO.

Altera in arboris parte, ſiue ſub dextro ſtipite, Magnificentia magnis ampliſque præmiis adficit homines honeſtos vt ſcientia militari, aut præclariſſimarum artium diſciplinis excellentes, ceteráq. exercet, quæ ſat perſpicuè Poëta ipſe commemorat.

SI SAPERENT ILLI.

Si ſaperent, vt Leo ille nouæ Romæ Imperator cognomento Magnus, qui cum profeſſoribus artium ſuis, ſalaria vocato Rationali ſuo Eunucho iuſſiſſet dari, atque ille vt captus eiuſmodi hominum eſt, ſubmurmurauiſſet, in milites hanc pecuniam rectius erogari poſſe. *Vtinam verò*, inquit, *meis temporibus ea contingeret felicitas, quæ militum ſtipendia in profeſſionum ſalaria mutaret.* Narrat Suidas, & alij.

DOMINÆ FORTVNÆ.

Luſit ad Fortunam Imperij Romani, auream de qua C. Suetonius Galbæ c. IV. Iul. Capitolin. in Pio & in Marco. Æl. Spartianus in Seuero.

SPONTE AVREA PRÆCIPITANT.

Cuiusmodi ſpontaneum illud, diſſerit copioſè Ariſtoteles c.i.lib.iv. Ad Nicom. Benè Arnobius lib.vii. *Bonus auxiliator nunquam rogari ſe poſcit, ſpontanea ſemper opitulatione ſubueniens*, &c.

LEX IOVIS IVBET VSQ. RENASCI.

Tangit præceptum philoſophi de Liberalitate ex loco anted. Sic largiendum ne deſit copia in poſterum etiam benignè faciendi, ne communi prouerbio notemur, quo negatur, *Largitio fundum habere*. De quo ſapienter Tullius lib.ii. De offic. Quem tamen Lactantius Firmianus locum reprehendit c.xi.lib.iv.

QVAS PORTICVS ORDINE LONGO.

Sequitur deſcriptio ſtatuarum, ac principio illarum quæ in dextra huiuſce palatij parte viris Magnificis poſitæ ſunt. Quoniam vt dextra læuis: ſic munificis ac benignis, magnifici excellunt. Atque inter hos ipſos, principem locum Apollo tenet, auri ipſius, quæ Magnificentiæ ſupellex potiſſima eſt, omniúmque ſub Luna rerum procreator & parẽs. Huic Solomonem adiungit, regem ſapientiæ dignitate ampliſſimum, à quo illud orbi terræ notiſſimum, præſtãti æternǽque naturæ templum exædificatum eſt, præclaræ cuiuſdam ac prope ſingularis opus Magnificentiæ. Et vnde, inquies, notus Ariſtoteli Salomo? Hæc aut talia quæ paſſim hæc Ciuitas habet dubitãtem, ad ea remitto, quæ de mortuorum diuinandi peritia dixi die operis ſecundo.

ÆTERNO TEMPLVM MIRABILE REGI.

Iiſdem pænè verbis C. Tacitus templum hoc lib. v. hiſtoriarum laudauit. *Illic*, inquit, *immenſæ opulentiæ templum*, &c. Et Herennio Philoni legatione ad Caium eſt, περισημότατος καὶ ἐπιφανέστατος νεὼς, εἰς ὃν ἀνατολαὶ καὶ δύσεις ἀναβλέπουσιν, ἡλίου τρόπον πανταχόσε λάμπων. *Templum præ aliis omnib. nobile atq. illuſtre, in quod orientis & occidentis totius oculi coniecti, quod tanquam ſol ipſe, vſquequaque lucet*. &c. Etiam Dio Nicænus lib. xxxvii. narrans de Iudæorum religione & ſanctimonia, Eni, inquit, θεῷ νεών τε μέγιστον, καὶ περικαλλέστατον, πλὴν, καθ' ὅσον ἀχανής τε καὶ ἀνώροφος ἦν, ἐξεποίησαν. *Vni Deo templum maximum longéq. pulcherrimum excitarunt, niſi quatenus hians & patulum, & ſine faſtigio eſt*, &c. Sed quo pacto illud templum patulum? Dixerim, illud, καθ' ὅσον ἀχανής, &c. intelligi debere, non de toto templo, ſed atrio templi, quæ pars eius quarta, dictáque *atrium gentium*, aut *veſtibulum*: quod ſine tecto fuiſſe, & quemadmodum ſub dio fuerit Ioſephus explicat Orig.c.xiv.lib.xv. Et Exſcidij c.vii. lib.vi. & contra Apionem lib.ii. Tangitur quoque Ezechielis c.xl. Et quia ſemel hoc tẽplum intrauimus, vnum etiam Cornelij Taciti ex loco antedicto, de ſtructura eius bonum verbum in eo dicamus, qui loco citato, inter cetera templum illud Hieroſolymitanum fuiſſe ait, *intimis clauſum*. Quod verbum

nempe

nempe *intimis*, etsi nonnulli, vt Iustus Lipsius v. c. ablegarunt, tamen ipsum è seruitute illa se adlegare velle videtur in ingenuitatem, ac locum pristinum. Templum enim illud *intimis clausum* Cornelius dixit, partes interiores opponens atrio de quo dixi. Eæ partes intimæ sic clausæ, vt vel non omnibus vel paucis, vel vni tantum paterent, vt pinxit non malè Georgius Cedrinus quasi in tabella, compendio historiarum, ex Iosephi vt adparet cap. xiv. lib. v. Exscidij. Templi nempe Hierosolymitani quinque ambitus fuisse. Extimum patuisse omnibus, non Iudæis tantum, sed etiam peregrinis. Hoc scilicet, *atrium gentium* de quo dixi. Alterum Iudæi æquè omnes introibant exclusis tantum exteris. In tertium viri tantum illius gentis admissi. In quartum soli sacerdotes. In sacrarium autem ipsum, ad eiusque aram venire stolis induti illi tantum sacerdotes potuerunt, qui casti essent. In adytum denique summus pontifex stola peculiari amictus, semel quotannis ingrediebatur. Atque hæc omnium intima templi pars sæpe ipso templi nomine afficitur, nimirum propter excellentiam, vt in Macabæorum historia lib. III. Hæc mea de C. Taciti loco sententia est, quæ si refelli potuerit, tamen iocandi materies non erit, quasi in Veri ciuitate mentiens. Aliud enim mentiri, aliud mendacium dicere. Sed iam missas faciamus *scholicas dapes*, nostri poetæ epulo contenti simus. Exemplum igitur illud sapientissimi regis consideratè auctor posuit, vt ostenderet nihil à magnificentia ipsa fieri posse magnificentius ea largitate, qua diuini nominis amplitudo & gloria inlustratur.

HIC ETIAM REGINA CARVM.

Adiungit statuam Artemisiæ, cuius magnificentia spectata in Mausoleo.

POSSIDET HAVD PROCVL HINC STATVAM.

Ex numero quidem virorum fortium sustulit Alexandrum vt meritus est, supra die quinto: sed nunc iustam ei debitámque impertit laudem Magnificentiæ. Quæ sexcentis facile testimoniis confirmari potuisset, cum orbem terræ splendor eius, tanquam sol ipse compleuerit: sed solerter ab auctore factum est, vt Aristoteles de Alexandri discipuli sui Magnificentia illa commemoraret potissimum, quam ipse tanquam instrumentum habuit scribendæ historiæ de natura animalium. Qua de re Plinius narrauit c. xvi. lib. iix. Athenæus lib. ix. Qui tantos in historiæ illius confectionem & remunerationem Aristotelis, sumtus Alexandrum fecisse ait, vt octingentis ij talentis æstimati sint. Quæ nobis interpretari licet fere quadringenta & octoginta aureorum milia. Quo nunc pretio Philosophiam ipsam, totúmque Heliconem, si esset venalis, nemo, vt Plautus loquitur, præstinaret siue emeret.

HÆC ITA NARRAVIT.

Artificiosa transitione leniter ac sensim auctor quasi defluit ab antiquitatis exemplis ad recentiora, occasione Reginæ, quæ visa ibi patris sui Francisci primi, inter Magnificentiæ splendore inlustres, imagine, multiplicem eius magnificentiæ laudem perstringit breuiter. Sed nulla inter has laudes maior, quam quod *Literarum parens* vno orbis terræ consensu, nuncupatus est.

SED PROPEREMVS ET HÆC.

Transit Aristoteles in læuam palatij partem, vbi statuæ illorum qui liberalitate ceteris excelluerunt. Sed quoniam hæc plebeia fere, ac parum inlustria exempla sunt, acres ipsæ in vulgari notitia positæ, contentus Aristoteles dominam huiusce ordinis & Reginam posuisse Lunam argenti procreatricem, quod liberalitati paulò ante conuenire dixerat, finem facit. Posuit autem gradus Liberalitatis, quales officiorum olim Romæ. Hos sic enumerat A. Gellius c. XIII. lib. V. Primi parentes, deinde pupilli tutoribus suis, post clientes patronis, tum hospes hospiti. Hinc cognati cognatis, adfinibus adfines, denique ceteri.

DIES DECIMVS, DE PRODIGALITATE, ET INANI OSTENTATIONE MAGNIFICENTIÆ.

LVTEA puniceos ab Eoo littore surgens
Aurigabat equos coniux Tithonia, Solis
Nuncia vicini: Senior suspexit ad ortus,
Atque ait, atherij dux flamee limitis, effer
Nunc puro magis ore diem, radióque tenebras
Discute largifluo, quibus hæc inamabilis horret
Vallis, vbi sedes vitiorum biga locauit.
Sic ait & cliui cœpit descendere calle
Herbido, & in vallem geminis vbi simplice tecto
Atria stant vitiis. Simul ac penetrauit in horum
Septa pedem Sapiens, Reginæ farier orsus

Sic breuiter. Viden' vt deformia tecta ruinis
Hæc iaceant? dixit. Fuerant prius integra, & arte
Non bene structa minus, neq. pauperiore metallo,
Quàm quas magnifici gemmis auróq. coruscas,
Largificíue tenent, argento diuite sedes
Lucentes. Sed enim postquam illas blanda VOLVPTAS
Et Veneris Bacchíq. cliens malesuada IVVENTVS
Incoluit, pessum deformibus ire ruinis
Cœpêre. His posita hic statuæ sunt limine primo.
Dextra viden' facie ridet pellace VOLVPTAS,
Læua nitet facili socialiter ore IVVENTA.
Dehinc latera his cingunt AMOR & IOCVS & GVLA, *semper*
Quos sociare sibi comites EFFVSIO *gaudet.*
Strata iacet miserè transuerso limine diues
Antea, nunc sed egens, & inani COPIA *cornu,*
Et pedibus teritur balatronum intrare volentum.
Ipsa sed in summa sedet arbore, flebile dictu,
Et disperdit opes HERA PRODIGA, *deiicit ipsos*
Vertice defringens ramos, atque aurea mala
Proiicit, & nitidos argentea munera flores,
Magnifica tantum, Ratio quas recta iubebat,
Largificáque manu, velut æqua impendere lance,
In bene promeritos, & præmia ponere laudi
Debita, diuitias. Hæc autem dira Celæno
Diripit, & quasi de postico limine turpes
Corporis effundit, contactúq. omnia fœdat.
Adproperántq. ruúntq. sues, velut agmine facto
Lenones, scurræ, perductores, parasiti,
Mœchæ, & aquarioli, balatrones, hoc genus omne,
Et capiunt, rapiunt: sibi quisq. est proximus ipse,
Séq. suámque probè grex improbus, hinc stabilit rem.
Sicut in excelsæ nascentia culmine rupis,
Soli diripiunt, poma infelicia, corui.
Parte alia sedet, ostentans Iactantia, sumtus,
Sic quasi magnificos, sed inanes, & sibi struxit
Condignam rutubam, foliis & arundine textam.
Maximáq. his meriti qui sunt, paruissima donat:
Paruuláque his tribuit, meriti qui grandia: nullo
Dilectu, aut trutina rectæ Rationis, honesti
Nec finem inspiciens, mediúmue ferire parata:
Diuitias tantum ostentans. Hæc vnica meta,

Magnarúmq. is fructus opum, placet vnicus illi.
Ergo etiam patinis, magnáq. struice sodales
Accipit, & magnos facit in proscænia sumtus.
Attica sed, Cereris per pompam, vt virgo canistrum
Fert: sua transferri ad speciem per compita gestit
Muricis ardenti fuco vela ebria, sumtus
Quæ testentur heri magnos locupletis, & ingens
Scenæ instrumentum: miseris quæ gloria quondam
Magna fuit Megaris, in paruo muricis vsu.
Protrahit aut animum sollers componere, seruos
Venatum, teretésq. plagas, venabula, mulos,
Qui prædam referant, pretio, sed, scilicet, emti
Ingens corpus apri, populi quæ ante ora stupentis
Bellua prætereat, ceu sacra fercula pompæ.
Circum porticibus sed iam spectemus in amplis,
Hosce parum læta priscos sub imagine reges,
Insipienter opes vanis qui sumtibus olim
Adtriuêre suas. Quo primus in agmine, trunca
Effigie, & certo est sine nomine, primus inanes
Amens Pyramides cœpit qui educere cælo.
Inde Cheops sequitur regum stultissimus ille,
Fœtiferi quondam Nili, dicione fluenta
Pinguia qui tenuit: sed dum molitur inani
Pyramides studio vecors, disperdidit omnes
Regni diuitias, insanis sumtibus: ipsas
Denique filiolæ, cupidè spurcéq. locare
Nocturnas sollers operas, satis vnde diurnis
Pyramidum merces operis. Amasis comes illi
Nilipotens æquè, & fatuus rex, plurima stultè
Qui monumenta struens, magnam destruxit opum vim.
Stant alij serie longa quos dicere longum est.
Hos inter quoq. Romulidæ. Nero sæuus vterq.
Claudius & Caluus: peior sed vtróq. tyrannus
Caïus, atq. alij furiata mente, coactas
Qui seruire sui, vesanis sumtibus, orbis
Diuitias, sparsêre vagis ceu semina ventis:
Mox eguêre aliis, quasi me conuincere vellent
Prodiga, qui dixi, non est manus inclyta regum:
Atq. iidem quasi pro me causam dicere vellent,
Omnia diripuêre, lupus velut acer ouile:
Prodegisse vt eos nemo contendere posset,

Quippe iterum ſucci plenos, penníſq. renatis
Sublimes aquilas, in cæli nubibus alti.
Hæc vbi luſtrauit Senior. Super vltima, dixit
Area nunc illa eſt, extremo limite vallis
Quam Regina vides horrere. Jnlæta locorum
Hæc facies, varias ſedes habet: è quibus illa
Quàm vigilax ſeruat cuſtodia, cæca profani
Carceris eſt domus: hinc patet è regione paratum
Hoſpitium miſeris, quos improba cogit egeſtas
Poſcere opem vitæ, atque aliena lance foueri,
Hæc aut illa domus, manet indubitata profuſis.
Parte alia lucus colitur fanúmq. Lauernæ.
Vicina regione forum crudele ſuperbis
Adſiduè feruet, ſtructum vndique & vndiq. tectis,
Peruigili cura, ieiunis dentibus acres
Hic agitant, qui ſæua legunt cumulántq. tributa,
Jn capita, & merces, & fructus aſpera, vt olim
Omnibus in tectis crepitans ſalit horrida grando,
Aſpera cum deſæuit hiems, & frigora mordent.
Scilicet vt miſeros & egentes, ſic & auaros
Prodigitas facit: effundunt, effuſa requirunt
Acrius, & rapiunt, peſſum, quò plura dedere.
Sed grauius rapere eſt bona, quàm diſperdere parta.
I. *Qui ſua dilapidant ipſi bona, ſunt in amore,*
Vnctaque cum multis comedunt patrimonia: ſolus
Rem partam vigilax veluti draco, ſeruat auarus.
II. *Eſt vt conſilio ſapientis tactus amici*
Prodigus, euigilet, referatq. in priſtina ſeſe
Quæ malè deſeruit recti veſtigia: creſcit
Semper auaritiæ ſitis, etſi flumine rerum
Partarum creſcente. Sitim ceu potio gignit
Ipſa grauem, turget diro quibus hydrope venter.
III. *Sæpe & deterior canis cum aſpergitur ætas,*
Heluo ſe in gyrum rationis ſponte reflectit,
At ſemper tacitè creſcit, creſcentibus annis
Auri ſacra fames, breuior quo ſemita vitæ
Jam reliquæ ſupereſt, maiora viatica quærens.
IV. *Jpſe nocet ſibi, ſed non paucis viuit aſotus*
Commodus: ipſe ſibi malus eſt, neq. commodat vlli
Euclio deparcè parcus, bellum facere ipſi
Non ſegnis Genio. Plura bis cum dicere vellet,



A. Palatium vitiorum quæ cum Magnificentia & Liberalitate pugnant.

B. Inanis ſumtuum oſtentatio, vitium, quod Magnificentiæ modum excedit.

C. Prodigalitas, vitium Liberalitatis modum excedens.

D. Reſtrictio Magnificentiæ, vitium non pertingens ad modum Magnificentiæ, pomáque & quaſi Calabri hoſpitis dona largiens.

E. Auaritia, vitium, quod à modo Liberalitatis deficit.

Hesperus ortus erat. Phœbique sub æquore mersa
Lampade, conspiciens Noctis procedere bigas
Conticuit Senior, factóque hic fine quieuit.

LVCIDA PVNICEOS.

DECIMO die, postquam depinxit speciem orienris solis Aristoteles, de palatio Liberalitatis & Magnificentiæ transit in vallem à læua manu, quàm duo vitia incolunt, prodigalitas, & inepta sumruum ostentatio. Qui profectionis huiusce ordo sic fiet planior. Duarum virtutum est vna domus, nempe Liberalitatis & Magnificentiæ. Vtráque autem virtus, à duobus vitiis acerrimè oppugnatur: Liberalitas hinc à prodigalirate, inde ab auaritia: Magnificentiæ splendor, hinc à vanitate quadam siue insolentia, inde à paruitate quadam & restrictione sumtuum. Quatuor igitur aduersaria his virrutibus vitia sunt. Horum duo transiliunt mediocritatem, vt prodigalitas & sumtuum ostentatio inanis: duo item infra mediocritatem repunt, vt auaritia, & sumtuum quos Magnificentia exigit, restrictio. Scienter igitur vnam domum auctor vitiis ædificauit tanquam cognatis, primùm illis quæ transeũt modum vt profusioni & sumtuum insolentiæ: deinde illis quæ consistunt intra modum, vt auaritiæ & restrictioni.

Hodierno igitur die qui decimus est in ciuitate Veri, ingressurus est Aristoteles cum Regina, in palatium quod coniunctæ incolunt profusio, quam ipse olim ἀσωτίαν, & sumtuum vanitas, quam βαναυσίαν & ἀπειροκαλίαν nominauit, vt c.II. lib.IV. ad Nicom. Atque huic affine illud vitium quod μικροφιλοτιμίαν, vocauit, ac iucundissimè depinxit Theophrastus in notis, qui liber totus pene exscriptus est à Stobæo.

VIDEN' VT DEFORMIA.

Descriptio domicilij vitiorum, profusionis nimirum & inanis Magnificentiæ, quæ tecta lacera fingit ac ruinosa esse, culpa iuuentutis ac voluptatis, quarum statuas videri vult in ipso ingressu positas, vnam à dextro vestibuli latere, alteram à læuo. Circum has statuas aliæ inibi visuntur vt amoris, ioci, vitij ventris & gutturis, siue ita dicendum, verbo Tertylliani, Voratrinæ, quæ pestes, quasi administræ sunt & satellites profusionis. Itaque ab his fingit euersum Copiæ cornu in ianua ipsa tãquam liminis vice proiectum esse, vt conculcetur ab ingredientibus & proteratur, ex quo intelligi vult auctor, nihil aliud profusionem siue Luciliano verbo vti licet *prodigitatem* esse, quàm dissipationem patrimonij atque omnis pecuniæ, dantem sine delectu, sine iudicio, nulláq. habita ratione personarum, loci, aut temporis, neque quantum aut quomodo largiendum sit, considerantem. Eandemque non de beneficiis à quoquam accipiendis, non de re domestica & familiari augenda

autem & Amasi rege Herodotus lib. II. Amasis quidem rex curasse dicitur, Sphingem illam mirabilem sepulchro suo imponendam, de qua Plinius c. XII. lib. XXXVI. & alij. De Nerone autem vtroque, Claudio & Caluo, siue Domitiano, & de Caio, Suetonius, Tacitus, alij. Cum autem ait auctor *Nilipotens æquè, & fatuus rex*, iocari voluisse videtur ex vrbanissimo illo prouerbio, *Aut regem aut fatuum nasci oportere*. Noster enim significare videtur, adiungi posse, *aut vtrumque*. Quasi felices fatui sint, felices reges, feliciores fatui simul & reges, illud denique *satis merces*, rectè, pro sat mercedis, vt auctor ad Herenn. lib. I. *satis otium*. Tullius lib. XII. ad Attic. *satis tempus*, Et iuris auctores, vt l. XIX. De op. libert. *Satis tempus*. Quod autem Aristoteles se dixisse ait, reges non posse prodigos nominari, est c. I. lib. IV. ad Nicom.

SVPER AREA NVNC ILLA EST.

Effingit, & quasi ingenio suo instruit aream quæ ante huiusce palatij fores, amplissimam, in eáq. principio carcerem construit, deinde hospitium pauperum quod Græci vocant Xenodochium, Latini (non quidē M. Cicero, sed alij) *hospitalium*: tum Lauernæ, furum ac rapidicarū Deæ templum: postremò *senaculum* quasi quoddam, aut forum, vbi ad ærariū ruunt, ὥς γι ὕες, exactores angarij, nouorum vectigalium inuentores, publicani, atq. id genus omne pessimarum pecuniæ hirudinum. Carceris imagine auctor intelligi vult, prodigos cum debita contraxerint, multóq. oppressi ære alieno fuerint, neq. iam soluendo sint, ire in carcerem rectâ viâ. Hospitalij specie declarat fortunatos lautósq. homines, patrimoniorum effusione, fieri mendicabula. Lauernæ Deæ templū indicio est, eos qui sua dissiparint, aliena deinde rapere, ac perfossores parietum fieri solere, siue vt M. Cato locutus est olim, *vecticulariam vitam viuere, ac repente largiter habere, repente nihil*. Senaculum deinde illud aut forum, siue receptaculum potius publicanorum, signum est, principes cum egere inceperint, prouincias deinde suas compilare. Itaq. in litteris sacris, *Rex egens, magnus est calumniator*. Prouerb. cap. XXIIX. Idque de Hunerico Vandalorum rege iactatum in Africa prouerbium olim, vt narrat Victor Vticens. Persec. Vandal. lib. II.

PINNISQ. RENATIS SVBLIMES AQVILAS.

Diuitiæ enim patrifamilias & principi, quod auibus pinnæ, vt apud Ciceron. epist. II. lib. IV. ad Attic. *Qui mihi pinnas inciderant, nolunt easdem renasci*, &c. Et Artemidori c. V. lib. I. τοὺς εὐπόρους πτερὰ φαμὲν ἔχειν. *Diuites dicimus pinnis præditos*. Hinc & adagium vetus Καλλίας πτερορῥυεῖ. De quo Suidas.

SED GRAVIVS RAPERE EST BONA.

Ostendit Auaritiæ malum esse grauiùs quàm Profusionis, vt differit quoque Aristoteles c. I. lib. IV. ad Nicomach. Nam prodigalitati, aut vis quædam egestatis & inopiæ, aut natura ipsa, ingrauescente iam ætate modum aliquem profectò & finem facit: auaritia verò neque paupertate minuitur, neque senectute refrigescit, sed vtriusque rei accessione, ceu ignis oleo infuso, exardescit magis magisq. & inflamatur.

O

Præterea effusionis macula eò leuior quàm illiberalitatis & auaritiæ, quod auari de alieno rapiunt, prodigi autem largiuntur de suo. Itaq. hi defensione illa vti solent si vituperentur, *Nostra*, inquiunt, *hæc, non aliena sunt*, vt Herodes olim Atticus Sophistes. Cum enim Achaiæ tunc præsides Quinctilij castigarent hominem, quasi nimios sumtus faceret in statuas, τί δὲ ὑμῖν, ἔφη, διενήνοχεν, εἰ ἐγὼ τοῖς ἐμοῖς ἐμπαίζω λιθαρίοις; hoc est, *quid vestra, inquit, hæc curatio est, si meis ego inludo saxis?* Et ille apud Persium dissolutus, profusus, perditus adolescens, rectè monenti, inquit, *Ne sis mihi tutor.*

DIES VNDECIMVS, DE AVARITIA ET RESTRICTIONE MAGNIFICENTIÆ.

POSTERA lux aderat, cum matutinus, opaca
Tendit in aduersa, Sapiens, confinia vallis,
Tramite secreto: sedes vbi tetrica genti
Turpilucricupidæ, sollerti quærere nummos
Omnibus ex causis, inuentos claudere seris
Arcarum: & neque scire frui, nec velle fruendi
Cedere partem aliquam: canis vt præsepia seruans
Nec fœnum esse potest, & equos arcere paratus,
Restringit dentes, longéque absterret, & hirrit.
Huc vbi deuenit Senior, Sata sanguine regum,
Dixit, in hac latitare viden' caligine, circum
Nubila multiplicis Labyrinthi limina? Scire
Est operæpretium, quantò spatiosior ista
* Isthæc *Sit domus * hæc, latè campos amplexa patentes,*
Splendida quàm sedes, vbi Magnificentia regnat:
Et nitet, huic gemina est quæ Munificentia. Quantò
Longiùs à sede hac distet Labyrinthus, auari,
Adsiduo quem per, sed inani momine, reptant:
Quàm quæ prodigi habent, deformia tecta ruinis.
Sed sedem propiore gradu spectemus auaram,
Ipsa in vestibuli transuerso limine strata
Ecce, nefas dictu, PIETAS iacet, ínq. columnæ
Fornicibus morem, substant simulachra: Senectus

Curua, gemens, labiis demissis, obsita rugis,
Lymphatúsque PAVOR, *pallore exsanguis inerti,*
Sicca tenens fauces SITIS, *aduersaria ventri*
Dira FAMES, *dextráq. stipem deformis* EGESTAS
Accipit exiguam rapidè, prunæq. batillum
FRIGVS *habet viuæ: togulísq. virilibus omnes*
Femineísq. stolis simul omnes sint vt amictæ,
Cernis? & vt facie horrentes, ac fronte striata?
Nocte diéque patet cuiuis penetrare volenti
Cæca domus, sed qui semel intra limen auarum
Sponte pedem tulerit, frustra miser inde regressum
Expetit, vt canit hoc inscriptum carmine limen.
Ingredere, egressum, sed desperare memento.
Hoc simul insculptum Regina in marmore legit,
Horruit, ac trepidè retro vestigia vertit,
Vt qui lucifugum pressit pede nescius anguem:
Atq. ait, vltro à me scelerati liminis auram.
His ego me latebris, temeraria dedere seruam
Ipsa velim, Regum genus alto à sanguine, quorum
Munere libertas aliis data contigit vltrò
Gentibus? & quos nec sine libertatis honore
Nuncupet hostilis quoq. diro felle veneni
Lingua madens? Valeant, Senior, spectacula, tanti
Quæ mihi constarent, & libertatis auitæ
Eriperent, oculis, pretium, quoque carius ipsis.
Ipsa etiam præ quo vilis mihi vita. Renidens
Parce metu, dixit Senior, Remeabile tectum est
Me duce: nec filum tibi circumspexeris, olim
Quale suo dedit Ægidæ Minois, in hisce
Dirius est quanquam Labyrinthi flexibus, illo
Monstrum, quod domuit, pro caris corpus Athenis
Proiiciens vltrò Theseus, cum laude reuersus
Inde domum multa, atq. omni memorabilis æuo.
Ergo ades intrepidè, & mecum Regina, per istas
Ingredere ambages: neq. te remoretur euntem,
Horrida vel species monstri, penetralibus ipsis
Quod latet inclusum tecti, aut labor improbus, acri
Exercens studio, sed inani, flexibus illos
Bis ternis clusos Labyrinthi, semita feruet
Omnis quorum opere: arboreo ceu stipite nigrum
Itq. reditq. agmen, celeres prorepere ab imo

In summum, summóq. leues decurrere ad imum
Formicæ, & specie cassi gestire laboris.
Mœnia quæ flexus intercurrentia cernis,
Ut sibi construerent, hîc qui spatiantur auari:
Diruere ante aliis ausi sua nequiter olim
Tecta, nec è tignis alienis condere sedes
Has veriti, nihil vt plenæ decederet arcæ.
Hoc illis studium, hæc vita est, nil promere, semper
Condere opes, veteréſq. nouis cumulare lucellis
Diuitias, plures veluti circumdare stultè,
Si quis amet chlamydes, viuumq́; his se obruere ipse.
Serica vti sollers tenui deducere fila
Stamine, multiiugis anfractibus, agmine repens
Exiguo textor, seséq, inuoluit, & vltro
Jnmoritur, veniunt Seres spoliántq. iacentem
Multiplici togula, & pectunt sibi vellera læti:
Sic alias aliásq. sibi circumdare frustra
Certat, auarus opes, venit heres, & simul omnes
Diripit, vnctáq. transglutit patrimonia gaudens.
1. *Primus Auaritiæ circus, nunc inspice, quales*
Contineat. De parci omnes, velut Euclio terris
Aurum defodiunt, cumulatis vndíq. saccis
Jncubitant, vigiléſq. metu, strepitúq. pauentes
Quolibet adsiduè, fures velut omnibus horis
Jmmineant, manus aut Prædonum sæua, parati
Omnia qui rapere, aut malè cæcas occupet heres
Callidus, insidias struere. Aurea peruigil olim
Hesperidum draco non seruauit in arbore poma
Cautiùs. At nulli rapimus sua, nostra tuemur,
Dicere, & hac soliti causa prætexere sordes.
Hoc satis est? culpáue caret, quod plurima & auri
Messis, & argenti, multos satis vna beare
Quæ poterat, vestræ pallens & inutilis arcæ
Clusa perit fundo, ceu cæco carcere sontes?
Hos iuxta locus his, magnos quî impendere sumtus
Polliciti, demunt aliquid prius inde pusillè,
Atq. minutatim quasi circum rodere gaudent,
Magnificæq́; secant ita corpus laudis, honesta vt
De facie demens, inhonesto vulnere nares.
Proximus à primo Labyrinthi circulus iste
Strictior. Hic habitant, exactio menstrua ditat

Fenore quos nimio, celeréſq. in vota Calendæ
Lætificant: aliis FENVS *quaſi* FVNVS, *& ipſa*
Sors quaſi MORS, FRVCTVS *talis quaſi vortice* FLVCTVS
Triſtitiæ, miſeros altum qui mergit in æquor.
III. *Alter ab hoc circus lenones cingit auaros,*
Lenáſq. & quibus ars producere. Sicut hirundo
Venatur, volitans agros & compita circum,
Ipſa ſibi prædam, nidíſq. loquacibus eſcas:
Sic muliebre ſecus tentant adfamine linguæ
Mellifluo hæ Lamiæ, venaturámque per omnem
Cœtum, oculis faciunt, in amoris vincula fœdi
Vt laciant, & adulterio ſtupróq. ſequeſtrent.
IV. *Interiore autem gyro, ſtrepit alea, feruent*
Alueoli, talos manus improba mittere quærit
Compoſitos, mox deinde rapax quoq. teſſera, talis
Subiicitur, totos detexere callida cenſus.
Aſpera tum gliſcit vibratis pugna fritillis,
Haſtarum vice. At in medio certamine Mauors
Sæuit atrox, explétq. ſitim, non ſanguine miſſo,
Corporis è vena, ſed vulnere diuitis arcæ.
Hacce parum læta, paulum ſtatione moratur
Dum Regina, dolens tali caligine mentes
Implicitas Labyrinthea, ſonuêre per aures,
Vicina ex regione preces & vota, grauéſq.
Auditi gemitus. Stupuit Regina, ſed ipſe
Nil graue præcipias animo, ſed fortiter aude
Hunc etiam, dixit Sapiens, inuiſere circum.
V. *Mendici hæc, vaga turba, tenent latiſſima regna,*
Qui cumulare ſtipem ſtipe gaudent. Flebile carmen
Auribus occentant alienis: gaudia pectus
Ipſis pertentant tacitum, creſcente lucello,
Et tunica introrſum aureolis pannucia ridet.
VI. *Intimus hic porro circus, ſunt caſtra tagacis*
Perfida Maiugenæ, iuxtim Dea Noctis amica,
Pulchra Lauerna ſedet: fures ſtant atq. rapones
Sub ſignis, præſto manuari quidlibet arte
Furtifica læua, & miluinis vnguibus acres,
Baltea curtare, & detexere pallia, noctu
Culmina tectorum vigiles perrepere, totum
Sub terris habitare diem, cautique receſſu
Se inlatebrare ipſi, furtiuáq. præmia, caco.

Adſpice nunc medio Labyrinthi carcere, quale
Paſcitur, in riguo ſecreti gramine prati,
Monſtrum horrendum, informe, ingens, certiſſima vitæ
Peſtis Auaritia. Huic neq. olentis bellua Lernæ
Vertice multiplici certauerit: hanc neq. cæcis
Carceris incluſum Dictæi flexibus olim,
Semiferum genus oppugnet, proléſq. biformis.
Non minus atq. Hecale eſt rugis pannucia, venter
Sicut inexpleto tumet hydrope, ſquamea tergum
Tota, ſed inſolito ſquamarum tegmine, crebra
Cautio, & immodici ſtipulatio fenoris, atrox
Pagina, lucrificis miſeros vrgere Calendis,
Squamarum vice ſunt: intortóque agmine caudæ
Stringit, vti vigilax draco, ſæua pedéſq. manúſq.
Armat in exitium, rapidos, velut, vngula, gryphes:
Tortilis eſt pro nare manus, rapere omnia ſollers,
Anguimani vibrant qualem in certamina barri.
Arboris hæc, omnes, aſperrima bellua, fructus
Largificæ rapit, ac terræ in penetralia condit,
Et timet ipſa frui, prohibétq. inſana volentes.
Hæc Sapiens: atq. his voluit ſubiungere plura,
Terribiles oculorum acies cum bellua flexit:
Sed Dominam adſpiciens Virtutis luce micantem
Magnificæ, ſubito mentem externata pauore,
Mugiit immenſum, quo territa vallis, & omnia
Intremuêre ſimul Labyrinthi regna profani.
At ſoliti tenebris ſe bellua condidit antri,
Sol quoq. confecta lucis ſtatione diurnæ,
Merſit lucificos, Erythræo gurgite, crines.

POSTERA LVX ADERAT.

Satis iam diu peregrinatus cum Regina ſapientiæ princeps Ariſtoteles, in valle quæ poſita eſt ad læuam palatij Liberalitatis & Magnificentiæ, omnémque ſatis formam & tanquam faciem vitiorum in ea valle commorantium, Reginæ oſtendit, quorum alterum extra Liberalitatis, alterum extra Magnificentiæ modum & quaſi limites procurrit. Hodierno igitur die, qui eſt in Veri ciuitate vndecimus, hora diei prima, ſiue cum ipſo exortu ſolis, per cuniculum tranſit Ariſtoteles cum Regina in vallem palatio Liberalitatis Magnificentiæque oppoſitam à dextra, vbi ſedes ac regio eſt vitiorum, quæ intra metas Liberalitatis & Magni-



A. Labyriorhus,io quo vitia duo, Auaritia & Reſtrictio Magnificentiæ.
B. Effigies Senectutis impoſitæ voi de paraſtatis ſiue aotis iaouæ.
C. Staruæ Pauoris & Paopertatis.
D. Fames & Frigus.
E. Sitis.
F. Primos Labyriorhi citculos in quo ſtatuæ tenacium,quod primum genus Auarorum eſt.
G. Alter circolos, in quo feneratores, quod alterum geous Auarorum.
H. Tettius circulus,in quo Lenooes, tettia ſpecies Auarorum.
I. Quartus circulus,in quo alearores,quartum Auarorum geuus.
K. Quinctus circus, in quo meodici.
L. Sextus, in quo fures.
M. Ariſtoteles.
N. Regina.
O. Auctor ipſe operis.
P. Auaritia ipſa,ſpecie mooſtroſa.
Q. Arbor Liberalitatis & Magnificentiæ.

Magnificentiæ,quasi tardi & languidi cursores,deficiunt.Nempe Auaritia Liberalitati opposita, & Restrictio sumtuum aduersatia Magnificentiæ.Harum tecta, inquit Aristoteles multo esse ampliora quam illa virtutum Liberalitatis & Magnificentiæ, aut vitiorum Prodigalitatis, vanæque impensarum ostentationis. Quod scientissimè auctor excogitauit.Intelligi enim vult,vt res est,à multo pluribus auaritiæ & angustatæ illius restrictæque Magnificentiæ limen teri,quam aut prodigalitatis & ineptæ sumtuum gloriæ,aut virtutum ipsarum, Liberalitatis & Magnificentiæ. Itaque vt plures sunt Auaritiæ restrictæque Magnificentiæ clientes,sic atrio eis opus fuit maiore. Prætetea Auaritiæ & misetæ illius ieiunæque Magnificentiæ domicilium, callidè auctor à Liberalitatis & Magnificentiæ sede aliquantò longiùs,quàm Profusionis & impensarum venditationis ac gloriæ tecta,distare finxit,vt significationem facetet,à Liberalitatis laude,ac splendore Magnificentiæ, longiùs auaros, & illos qui misetè ieiunéque sumtum in res magnas & præclaras faciunt,abesse,quam prodigos aut impensarum ostentatores. Profusi enim & sumtuum gloria insolescentes,citius ad Liberalitatis & Magnificentiæ metam quasi ab ouo siue calce reflectere se possunt, quam tenaces illi & sordidi aut ieiunè magnifici,è carceribus ad metam virtutis emittantur.

IPSA IN VESTIBVLI.

Pictor penicillo suo coloribus ianuam Illiberalitatis & ieiunæ Magnificentiæ veriùs imitari non potuisset, quàm auctor his versibus expressit.Nam ecce limen ianuæ inferius, miserabili aspectu est. Iacet enim crudeliter ac nefariè pedibus ingredientium obtrita & conculcata *Pietas*. Vestibulum verò ipsum fulciunt statuæ, primùm *Senectutis*, exsiccatæ & incuruiscentis,deinde *Pauoris*, statua est, quasi amens,exsanguis, sine colore.Deinde effigies, *Famis*, *Frigoris*, *Egestatis*, *Sitis*,quibus malis,sordidi & illiberales ferè conflictantur. Tribus nempe vestibuli portis,hæ statuæ fulciendis,appositæ sunt,per quas portas in palatium ipsum patet introitus.Portæ vero ipsæ,triplex genus declarant,illorum qui in Auaritiæ tecta ingrediuntur, vt paulò inferius patebit. Omnes autem ferè illi à quibus auaritiæ domus frequentatur, homines parui angustíque animi sunt. Itaque octo illas in auaritiæ vestibulo statuas, auctor pinxit togis quidem virilib. amictas, sed & stolis indutas muliebrib. Auaritia enim vt signanter à Salustio Crispo dictum est,*quasi venenis malis imbuta,corpus animumque virilem effeminat*. Deinde adiungit huiusce operis auctor omnibus quidem ingredientibus, trinas illas vestibuli Auaritiæ fores vltro patere: sed cum in penetralia ipsa ventum est, ibi omnes,quasi in custodiam perpetuam dati essent,detineri. Quod signum est, auaritiæ morbum insanabilem esse, & vix ac ne vix quidem sordidos & illiberales homines, siue, vt Lucilius dixerit, *adperones*, animum suum ad munificentiæ laudem transferre. Itaque in foribus ipsis Auaritiæ inscriptum esse ait versum.

INGRE-

Ingredere egressum sed desperare memento.

Imitatum ex Dantis Aligerij Poëtæ versiculo, quem ille, inferorum sedem ac locum describens, in limine ipso adposuit.

Lasciate ogni speranza o voi ch'entrate.

Huiusce versiculi denuntiatio Reginam ita conterruit, vt exsecrata illud tanquam Orci ostium, ac longissimè refugiens, omnino discessura videretur, nisi confirmata fuisset oratione Aristotelis docentis, tam munificam & liberalem, in sedibus auaritiæ non posse adtineri.

ARBOREO CEV STIPITE.

Imitatus illud L. Senecæ. *Inconsultus eis vanúsque cursus est, qualis formicis per arbusta repentibus, quæ in summum cacumen, deinde in imum inanes aguntur,* &c.

MOENIA QVÆ FLEXVS.

Reginæ ingredienti Aristoteles de palatij substructione loquitur, nempe auaros tignis illud sibi struxisse alienis. Intelligi vult auaros rapiendis alienis ditescere, & veram esse adagionem. *Diues aut iniustus, aut iniusti heres.* De qua Ælian. variis c. xxxii. lib. xiv. Eunapius in Iamblicho. Præterea innuit, virtutum ac vitiorum tecta non differre materia vel structura: sed illa vitiorum deformata & diruta esse à vitiosis, tanquam ædes præclaras à sordidis negligentibus dominis aut inquilinis. Quales illi, quos iucundè sanè M. Varro increpuit ταφῇ Μενίππου. *Sed quæ necessitas te iubet aquam effundere domi tuæ? Si vasa habes pertusa, polubrum non habes? Ad quam rem nobis est confluuium? ad quam rem vinarium? in pauimento non audes facere lacunam? at in humu facis calceos elixos,* &c. *In humu,* dixit pro, *in humo,* &c. Er meliùs fuerit, *ad quam rem vobis,* &c.

Sic autẽ & comicus Latinus elegantissimè in Phasmate sua Scæna II. comparationem ædium & animi fecit: Animum esse quasi ædificium structum examussim, ac pulcherrimè: hunc vitio inmigrante corrumpi, vt ædes ab inquilino aut domino *indiligente, cum pigra familia, inmundo, instrenuo,* &c.

SERICA VTI SOLLERS.

Similitudine declarat ingenium hominis auari, opibus nimirum se inuoluentis, vt bombyces siue serici vermiculi, tela se ipsi intexunt sua. Hi enim, vt in illa ipsa quam detexerunt tela, moriuntur: sic *isti, qui cum Genijs suis belligerant parcipromi,* vt Plautus dixerit, & *triparci, auidi, aridi* homines, animum suũ mentémque in thesauro penitus abditam & defossam sepeliunt. Itaque ille apud Plautum *parcißimè parcus* senex Euclio:

Nam egomet sum hic, inquit, *animus domi est:*

quidni? in aula auri plena, sub terram abditus. Deinde autem, vt illi vermes cum diu multúmque texuerunt, accedit dominus qui omnem earũ operam deripiat: sic illi in Auaritiæ Orco misertimi Tantali, illi *non tenaces, sed pertinaces,* illi thesaurum suum quasi dracones circumplexi,

poſtquam fœnore,fraude,fallaciis,periuriis ad ingentem pecuniam venerunt,aut indigno eam heredi relinquere coguntur,aut furtis,latrociniis,direptionibus,incendiis,naufragiis ſæpiſſime amittunt, & Euclionis Plautini verbis eiulant:

Nam quid eſt opus mihi vita qui tantum auri perdidi?

Primvs avaritiæ circvs.

Illiberalium duo genera poſuit in hoc primo Auaritiæ Labyrinthi circulo,vnum eorum,qui nihil vnquam largiuntur,ſed ne rapiunt quidem alieni quicquam : alterum eorum qui non modo largitionem faciunt nemini,ſed potius retrò contráque alienum tanquam harpyæ teterrimæ rapiunt. Prioris generis, moleſti illi quidem,ſed minus tamen peſtiferi ac nocentes quàm hi rapones, hi *pecuniarum accipitres*, quorum vmbra ipſa, commodis alienis pernicioſa eſt, digniſſimi vt Thyeſtæ verbis exclament,qui à ſe diſcedere quàm longiſſimè omnes iubet,

Ne, inquit, *contagio mea bonis vmbráue obſit.*

In primo Auaritiæ circo illi de primo genere auari: in ceteris, reliqui.

Congestis vndiq. saccis.

Vt Horatius in auarum ſatir. 1. lib. 1. *Congeſtis vndique ſaccis. Indormis inhians.* Et Apuleius de rancido feneratore quodam, *Pannoſus*, inquit, *& ſordidus aureos folles incubat.* Neque diſſimilis ille quem ſalſiſſimè irridet Lucilius, *Cum bulga cœnat, dormit, lauit*, &c. Et ille de quo Nicetas in annalibus ſuis Calomodius, συγκαθεύδων τῷ φασκωλίῳ. *Condormiens ſacculo ſuo.*

Hos ivxta locvs his.

Cum auaris in primo Labyrinthi circulo illos coniungit,qui ſumtus magnificos reſtringunt, & tanquam circumrodunt.

Proximvs a primo.

In altero circulo Labyrinthi *feneratores*, qui non merces, non operam ſuam aut induſtriam,ſed tempus ipſum venale habent : meritóque L. Seneca c. x. lib. VII. de beneficiis vituperauit *feneratorum tabulas, computationes, venale tempus, ſanguinolentas centeſimas*, &c. Et benè *exactionem menſtruam* Poëta dixit,vt etiam D. Baſilius lib. cõtra feneratores μηνιαίας ἀπαιτήσεις. Cum his conuenienter philoſophus c. 1. lib. IV. ad Nic. iungit, eos qui τὰ μικρὰ ἐπὶ πολλῷ, intellige, λαμβάνουσι, id eſt, *Parua ſuper magno accipiunt.* Qui autẽ illi, neque Lambinus, neq. Zuingerus, neq. interpretes alij rectè accipiunt. Intelligi autem vult eos, qui in magno lucro, ne puſillum quidem aliquid contemnere audent. Cuiuſmodi leno inducitur Plauti Perſa ſc. XVII. Atque hoc Plautus Rudente ſc. XIIX. comicè dixit, *Conuerrere cum puluiſculo.* Et huiuſce loci exemplo, auctor Prologi ad Truculentum, dixit : *Auferre cum puluiſculo.* Exempla quoque apud Theophraſt. Charact. Eth. c. De Parſimonio. Sed vulgò nec intellecta.

Tertius circus habet *Lenones*, quorũ ſordes ac rapinæ ſatis depictæ in comœdiis, grauitérq. & ſanctè Iuſt. Nouella xiv. vocauit, ὀλεθρίους καὶ κοινοὺς λυμεῶνας τῆς σωφροσύνης *peſtilentes & publicos euerſores caſtitatis ac tẽperantiæ.*

Quarta regione *aleatores*, de quibus Ammianus Marcellinus lib. xxiix. nobilitatis Romanæ, temporibus illis turpem ac flagitioſam vitam, deſcribens. *Quidam,* inquit, *ex his aleatorum vocabulum declinantes ſunt, ideóq. ſe cupientes adpellari Teſſerarios, inter quos tantùm differt, quantùm inter fures & latrones.* Sapienter ſanè irriſit hominum leuitatem, non rei ſed nominis turpitudinem abhorrẽtium. Sed cur honeſtiùs nugones illi, *teſſerarios* ſe, quàm *aleatores* dici putauêre? Videlicet, quia teſſerarum alea ceteris omnibus impenſior. Etenim à talis exorſi ludere minores ſummulas, deinde cum incaluiſſent, maiores ſummas luſêre teſſeris. Eáque re Martialis epigr. lxvi. lib. iv. ira ſcripſit in laudibus vitæ ruſticæ, & inter vituperationes illorum ſtudiorum quibus dediti vrbani,

Suppoſita eſt blando, nunquam tibi teſſera talo. Quaſi ruſticus talorum ludus, quia puſillæ ſummæ: teſſerarum, vrbanus, quia ſummarum ingentium, & decoquere ſolitus. Tangit quoque anathematicus ille hoc diſcrimen, epigr. xv, lib. vltimi. Voluêre itaq. illi troſſuli videri, ſe teſſerarios quidem eſſe, magnificè: at non minutè ac ruſticè aleones talarios. Ergo & facetè Ammianus, teſſerarios aleatoribus excellere, quantum furunculis latrones. Illi enim magna, & propalam rapiunt: hi clam & puſilla plerumq. & quaſi verecundè. * Eleganter autem aleatores ac teſſerarios Ammianus furum ac latronum ſimiles fecit. Damnis enim aleatoriis cum exinaniti fuerint, miſeri ac ieiuni, trãſeunt quaſi de fumo in flammam ad gregem furum & *rapicidarum.* Quincta eſt mendicorum ſtatio. Poſtremi generis ſunt, fures ac *rapones,* Lauernæ deæ fugaces miniſtri ac ſacerdotes, in omni omnium auarorum genere peſſimi.

*Quocirca etiam Saluius Iulianus *raptorẽ* definiuit, *furem eſſe improbum* vt l. xiv. Quod met. cau l. 22. de vi bonor. rapt. D Et Inſtit. Eod *Improbum*, accipe impudentẽ. Gloſſæ *Improbus*, ἀναιδής. Et qui Odyſſ. xr. λᾶας ἀναιδής ſiue *lapis impudens*. Æneid. xii. eſt, *mons improbus*. Sic etiã *improbũs* apud Terent. & C. Suetno. De clar. Gram. c. xii. Et *improbus natus*, eiuſdẽ Veſpaſ c. xxiii. pro nato impudenter, ſiue improbè, vt malè natus, naturæ inclinatione malus. Qui Tranquilli locus non intellectus Criticis.

At media labyrinthei.

In Labyrinthi partib. intimis, pratulum eſſe voluit auctor, in eáq. ipſam paſci auaritiã, cuius ſpeciem ex adiunctis non ineleganter pinxit. Immaniſſimũ ſcilicet fœdiſſimúmq. eſſe monſtrũ, facie quidem muliebri, ventre maximo & tumente, ad exemplũ hominis adfecti aqua intercute, ſempérq. ſitiẽtis. Qualẽ depinxit Horat. oda ii. l. ii. Diogen. apud Stobæũ Sermone xxxv. & Polybius. Pelle autẽ id mõſtrũ eſſe ait tanquã ſquamea, ſed ſquamarũ in loco ei eſſe innatas cautiones & ſyngrapha & chirographas debitorũ. Atq. vt acerrimã auaritiæ rapacitatẽ oſtẽderet mẽbris omnib. eam ſubornauit ad rapiendũ aptiſſimis, vt caudæ hamato vncinatóq. acumine, tũ manuum ac pedum *miluinis*, vt Plautus loquitur, *aut aquilinis vngulis*, naſo deniq. ipſo tanquã promuſcide ſiue manu elephanti. His ac talib. rapinæ inſtrumentis, monſtrũ illud omnes citri illius, quã Liberalitatis & Magnificentiæ arborem eſſe diximus, fructus floréſq. diripiens, in terræ cauernis penitus abſtrudit ac recõdit, ne quiſquam eis perfruatur. De qua mihi ſpecie cogitanti venit in mentem ridere ſimillimam Alcmæonis cuiuſdam apud Herodotũ lib. vi: ex eoq.

apud Dionem Romanum orat. 11. de Inuidia, & interpretem Pindari ad Pythia Oda VII. imaginem, cui cum propter acceptum ab eo, nescio, quid beneficij, Rex Crœsus Lydorum, refertus omnibus præmiis donisque fortunæ, & *montes*, vt dicitur, *auri habens*, potestatem fecisset sumendi de regiis thesauris auri, quantum semel corpore suo exportare potuisset, ille auro se penitus ingurgitare, & quasi diuturnam sitim explere cupiens, *ridiculissimam*, si Plautinè loqui licet, rationem excogitauit. Principio tunica sese induit, quantum potuit amplissima, sinúmque illius tanquam velum laxauit, deinde cothurnos pedibus induit, omnium qui tunc inueniri potuêre latissimos, atque ita exornatus, cum regiis ministris introiuit, vbi cum ramenti aurei aceruum vidisset, cótinuò inruens, cothurnos primùm vsque ad suras, auro penitùs refersit, deinde sinum auro totum impleuit, ac ne qua corporis pars, aureæ illius felicitatis expers esset, auri etiam *ramentas* capillis implicuit, os denique ipsum auro sibi totum quasi tibicen buccas, aut puer vesicam aura, inflauit, atque ita egressus est admirabili specie, cothurnos propter auri pondus vix trahens, turgentibus autem & sufflatis mirificè buccis, corpore denique omni sic tumente, vt monstrum citius, quàm aliquis facie figuráque humana esse videretur. Itaque & Crœso, & omnibus qui aderant, risus maximos concitauit. Sed ille quidem Crœso regi, stultissima illa specie voluptati fuit, nobis autem depictum paulo ante Auaritiæ monstrum horribile est. *Auaritia* nempe, inquit C. Sallustius, *bellua fera, immanis, intoleranda est, quò intendit, oppida, agros, fana, atq. domos vastat, diuina cum humanis permiscet*, &c. Hæc tam detestabilis furia, & societatis humanæ pestis, simul Reginam venientem aspexit, quasi noctua, tantæ Liberalitatis & Magnificentiæ lucem refugiens, sublato clamore, latebris antri sui sese intimis, occultauit. Alcmæonem quidem illum auro etiam os sibi refersisse, non incredibile dictu est, cum interpres Aristophanis notet, multis in more positum esse, τῷ σόματι φυλάττειν τὸ ἀργύριον. Minus quidem flagitiosè hoc custodes pecuniæ illi, præquam *Vulla* Hugonis Italiæ regis *fratria* siue *fratrissa*, siue fratris vxor, baltheum pretij immensi aureum, magnis fulgentibus gemmis inluminatum abdidit penitusque abstrusit. Narrat Luitprandus Ticinens. c. v. lib. IV. Rer. per Europ. gest. Libet autem quia huic loco non disconuenit, versus adpingere, quibus auctor operis huiusce ipse olim, sic quasi penicillo imitatus, illam Herodoti de Alcmæone Ethopœiam, in Ecloga sua, quam de auri cupidine lusit ex tempore olim. Ea huiusmodi est.

Aurea quis dubitet nunc sæcula currite, fusis
Dicere velle suis Parcas? Spes omnis in auro est.
Aurum vita viri est. Aurum via publica, cuncti
Per quam purpureos ad honores tendere certant.
Omnibus in terris, aurum vnica & vna voluptas.
Aurea captatur, non laurea gloria. Zeno
Stoicus, ex omni sapientem parte beatum

Pinxit: at hic sapiens, est picta cucurbita, præ quàm
Est verè sapiens, & ab omni parte beatus,
Copia quem circum fluit auri. Scilicet ille
Pulcher, honoratus, sapiens, rex denique regum,
Fortunámque suo lætus sibi temperat ipsam
Arbitrio, tristésque procul discedere curas
Imperat, & si quæ incipiant fuscare serenam
Mentem animi nebulæ, cunctas portare vocatis
In mare dat Zephyris. Anne ergo beatior alter
Quàm ille cluere potest, auri quem prouehit aura?
Ingenium, virtus animi, sapientia, cultus
Ipse Dei, cœli studium, sanctique recessus
Mentis, & in terris, cœlestia munia, vitæ,
Quid nisi næniolæ, febrilia somnia, nugæ,
Burræ, quisquiliæ, nebulæ, puerilia regna,
Parte alia si aurum adspiret? Sunt cetera, vt aiunt,
Nocturni lemures, qui cum sol igneus auri
Paret, dispereunt, neq. lucida tela diei
Huius ferre queunt, fugitántq. vt noctua solem,
Hic populi sermo est, hæc mens. Plebecula vellet,
Indica si posset, fieri formica, sibiq.
Nidos congerere, & cumulare perenniter auri,
Hoc studium, clamant, parui properemus, & ampli.
Pythagoræ nec fas, in viscera viscera condi,
Nunc populus si fas, in viscera conderet aurum.
Et condunt pleríq. tamen: sua viscera fului
Arcam auri faciunt, dictu mirabile, idémque
Ridiculum, & veniens aliqua sub imagine fedi.
De nostris aliâs. Nunc sat meminisse quod olim
Iosepho referente sciunt, qui talia curant.
Obsidione Titus Solymorum cinxerat vrbem, c.penult. lib.v.
Intus dira fames, certæq. pericula mortis.
Ergo fugam multi meditarier, ipsáque castra
Tendere in hostilis fossati, & millia multa
De fumo in flamam ruere, omni ex parte videres.
Quæritis, anne domum, & velut in statione relicto
Auro, illi fugére? Apage. Intra viscera multum
Quin citò demisêre aurum sibi, tránsque voratis
Nummorum aureolis, hosti lucro inde fuére,
Exitióq. sibi. Nam miles quando resciuit,
Iudaicos multo tumefactos pondere fului
Ire puerperij ventres, excepit euntes,
Prosecuitq. exsta, & sibi venas eruit auri,
Nascitur vt cæsa quondam genitrice, vigétq.
Partus cæsareus. Quantò felicior ille

Sic & apud Athenæũ li.xv. quidã in vltimis agẽs, transuoratis ante nó paucis aureis, sic opinione sua beatus moritur.

Alcmæo, qui tam lepida, faciliq. rapina
Sardiaci regis totum se oppleuit ab auro.
Scire iuuat credo, quale aurum, quæue rapina,
Expediam, adtentas, breuis est fabella, per aures
Vestras illa meet. Legatos regis opimo
Hospitio quondam accepit, fouítq. benignè.
Inde suas iterum ad sedes, regémq. reuersis
Multus in ore illis Alcmæo. Rex quoq. gestit
Scire quis Alcmæo. Præsto est à rege vocatus.
Atria nummorum plena huic, auríque struices,
Rex pandi iubet ingentes, tum carpere, quantum
Hinc posset capere, & toto semel asportare
Corpore permittit. Tunc qua se expleuerit ille
Scire operæpretium est artem, & cognoscier auri
Quàm cluet ingeniosa fames, glebæque nitentis,
Cum semel inuasit mentes, tam dira cupido.
Principio tunicas sibi laxas induit, esse
Carbasa velorum, atq. auris implenda putares:
Tum pedibus quantum potuit reperire cothurnos,
Induit adstrictos minimè, latéq. capaces,
Sic properans, ipsósq. auidus præuertere Crœsi
Ductores, auríq. furens inuadere aceruos,
Ceu lupus acer oues, ramentas protinus auri
Cum videt: hinc mox cura fuit farcire cothurnos,
Vndantes mox deinde sinus rutilante moneta
Sic totos impleuit, vti sub pondere tanto
Sudaret miser, & premeret vestigia lentè.
His satur, & tamen his minimè satiata rapinis
Auri sacra fames, vltra quoq. tendit, & audax
Arte noua rutilæ glebæ ramenta capillis
Implicat, os ipsum sibi de fulgente metallo
Distendit, ceu pinguis ebur Tyrrhenus ad aras
Cum altiùs inflauit. Sic exornatus ab auri
Emersit regnis, specie, mirarier omnes
Et ridere simul quæ cogeret: omnia plausu
Perstrepere, vt præbente aliquo spectacula mimo.
Sed multi risêre, quibus tamen ille saliuam
Tunc mouit iocus, & qui si data copia, vellent
Esse quod Alcmæo, vel & hunc superare rapinæ
Ingenio simili. Nostris quoq. moribus ecquis
Alcmæo fieri nollet? Non esse frequentes,
Res loquitur: nullos reperiri credere durum est.
Nostra suos etiam sapientes sæcula norunt,
Et voti modicos, simul & mentis bene sanæ,
Aura quibus cæli est aurum, quibus ipse creator

Auri, pro venis est vnicus omnibus auri.
Quo sine quid prodest aurum? quid vena metalli
Diuitis est, nisi perfusum fulgore venenum?
O caecas nimium mentes, quibus omnis in auro
Spes posita est: caeli quibus ipsius atria sordent,
Prae caelato auro: lucis quibus auctor, & ipse
Fons radij, quo terra nitet, quo caelica gaudent
Agmina, vesanis, prae gleba displicet auri,
Quae ceu vepretis extracta nitedula, torquet
Illorum in se oculos, quibus in caligine noctis
Humanae, non vlla solent aliunde nitere
Lumina, mens quorum demens & lippa recusat
Diuinae lucis radium, ceu noctua solem.

DIES DVODECIMVS, DE MAGNANIMITATE.

HOSPITII sordes, inlaetaq. tecta perosus,
Mane sub auroram, dubiaq. crepuscula lucis,
Collectis citò sarcinulis, vt deserit hospes:
Limen Auaritiae Sole exoriente scelestum
Liquimus, & piceam caeca caligine vallem.
Atque alacres collem puris escendimus auris,
Qua prope vicini deiuertitur orbita cliui.
Hic Sapiente viam praeeunte, in limina templi
Introiit Regina, colit quod splendida VIRTVS
MAGNIANIMI. Tum sic Reginam adfarier vltrò
Exorsus Senior: tectum ingens adspice dixit.
Nititur hac valido viui fundamine saxi
Regia, magnificóque in caelum fornice surgit.
Sustinet hunc series bis senis structa columnis,
Et spatio circum his incingitur ambitus aequo:
Inter eas humili terdena crepidine currens,
De niueo mixta est columella & marmore nigro,
Auréaq. imposita est rutilanti luce coronis.
Interiore domus gyro nitet ampla columnis,
Parietibúsque auro textis, & iaspide fulua,
Et gemmis stellata micant laquearia tecti,

Quattuor in templum referantur limina portis.
Pomiferi prima est anni, pomosa corona
Totam multiplici quam circum stemmate cingit.
Altera, quam deformis hiems, ceu vellere spargit
Densato niuis, & nebulis acríq. pruina.
Insequitur quam Ver, & Veris coniuga Flora,
Omnigeno variant sertis de flore corollis.
Nuda Ceres quartam flauentibus ambit aristis.
Ipsa columnarum bis sex capita aurea, signis
Respondent, per quæ Sol circumuoluitur orbe
Annum signifero. Quæ postquam singula verbis
Sic posuit Sapiens, alias euoluere cœpit
Oras eloquij, &, MAGNI celeberrima, dixit,
Hæc VIRTVS ANIMI, via lata & regia vitæ
Ad finem properare docet, summámq. beatæ.
Nam quibus hæc virtus sub pectore gliscit, honores
Promeritis magnos pariunt, rebúsq. gerendis
Iustos inueniunt multa cum laude triumphos,
Nec tamen aut fatui plausus & murmura curant
Vulgi, aut si tulerint merita pro laude repulsam,
Inuidia ridente, gemunt, curántue relicta
Limaces placare oculos, virtute: sed vltrò
Inuidiam plorare iubent, solitísq. dolentem
Se cruciare ipsam curis: & imagine laudis
Læti promeritæ, memori sub pectore gestas
Res agitant, animúmque acti remeante laboris
Præteriti specie, solantur. Compita circum
*Coticula *Dente Theonino rodi, quasi * samia, laudis*
Curam illis acuit, neq. si Fors riserit, inde
Altius excelluntue animos, tollúntue superba
Sorte supercilium: neq. si reflauerit, altum
Deiiciunt humiles animum, sed semper eadem
In statione manent, altaq́. columine mentis,
Compositóq. gradu, & quasi vertex summus Olympi.
Ac neq. poscit opem magnus facilè, aspera quando
Vrget fors animus. Quia sese intelligit esse
Dignum, qui dubiis aliorum præbeat vltro
Rebus opem, non qui poscat sibi. Multa benignè
Præsto idem facere est aliis, non accipere ipse.
Sic ANIMI postquam MAGNI memorabile templum
Carmine descripsit, Sapiens: nunc, inquit, HONORIS

Quæ

Quæ media est callam, Regina inuisere tempus.
Quattuor huc scalis adscenditur, omnia termes
Palmeus ante fores, & victrix laurea velat,
Et spoliis postes fulgent hostilibus, ipso
Culmine, stat prisco, celsum, de more, tropæum.
Spondis in graduum posita rutilantibus auro
Ipsis, effigies quorum VIRTVTE *cluentes*
Olim animi CELSA, *laudem reperère perennem.*
Socratis hæc prima est: vani sub crimine falsò
Cecropidæ, infando indicio, nil tale merentem
Demisêre neci, mox cassum lumine, tristes
Eluxêre diu, & statuam posuêre, dolorem
Et desiderium quæ testaretur ademti.
Thebarum decus hic ingens, in limite dextro,
Atq. alij plures, MAGNIS *celeberrima celsos*
Græcia quos ANIMIS, *quondam tulit: ordine læuo*
Romulidæ positi, peperit quibus ARDVA *famam*
Hæc VIRTVS, *seràq. etiam nunc laude cluere*
Postuma dat, vitámq. sequens extendet in æuum.
Sed nulli propiore gradu, quàm Iunius inde
Brutus, & hinc bimaris magnum decus ille Corinthi,
Timoleo, qui contra ANIMVM, *molimine* MAGNI
Pugnauêre ANIMI, *& sese vicêre, suósq.*
Adfectus, patriæ quasi fasces, lætus vtérq.
Summisêre, seges quò surgeret altior inde
Laudis: & ille patrem, hic fratrem mente exsuit alta,
Esset vt in patriam pius, & cumularet honorem.
Ardua quæ templi medio patet area, celsam
In qua purpureus sibi sedem struxit & aram,
Et socius HONOR, *hic etiam exteriore, quadriga*
Virtutum posita est spatio, quibus ipsa beatæ
Præmia nituntur vitæ, pectúsque nitere
Puriter illius debet, qui tecta subire
Celsa triumphantis, felix mereatur HONORIS.
Hæc ita dum memorat Sapiens, iam lim en ad ipsum
Ventum erat insignis templi, cum intrare paratæ
Reginæ, Senior, modo visere, dixit, Honoris
Hoc tibi fas adytum celsi venerabile, mecum:
Tempus erit tua cum radians hic stabit imago,
Inter honoratos æterni limine templi.
Obstupuit Regina videns laquearia tecti

Aurea conuexi, rutilis ſtellantia gemmis,
Artificiſque manu, variis expreſſa tropæa
Ductibus, & palmas, & Hetruſcæ magna coronæ
Stemmata, multiplicéſq. è lauri termite nexus.


Hospitii sordes.

MORATISSIMVM ptincipium, ſiue ex moribus ipſis vitæ communis expreſſum. Ait enim Reginam ex illis auaritiæ tectis exiſſe non minus libenter, quam lauti hoſpites ex deuerſorio ſordibus inquinatiſſimo diſcedunt.

Hodierno igitur die, in ciuitate Veri ex valle Auaritæ regina cũ Ariſtotele ſuo aſcendit in collem propinquum, vbi baſilica eſt Magnanimitatis. Hanc autem quaſi mediam auctor eſſe voluit in eo ipſo tẽplo, quod principiò totius operis ſui de anno, poſuit tanquam effigiem ſimulachrúmq. anni ſiue temporis. Sed quare in medio anni templo eſt ædes Magnanimitatis? Nimirum, quoniam hæc illa eſt virtus, qua generoſi animi, nihil niſi magnum & dignum immortalitate ſuſcipiunt. Itaque in ipſo anni templo fanum eſt Magnanimitatis, vt conſtet temporis ſiue anni decurſu id nunquam vaſtari, vnâ enim ipſius anni ſiue temporis fanum deſtrueretur. In ipſo deinde Magnanimitatis templo fanum Honoris quaſi adytum ſiue penetrale poſitum eſt. Scienrer quidem atque circunſpectè. Honor enim præmium eſt virtutis. Quod cum Romæ olim declarare vellet C. Marius, tẽplum Virtuti & Honori cõiunctum, & tanquam geminum dedicauit, vt eſt apud Symmachum epiſt. XIV. lib. I. D. Aug. c. XII. l. v. de ciuit. Dei. Sed quaſi ædes vna ponitur in ipſa C. Marij inſcriptione, quæ relata eſt in epigrammatis antiquæ vrbis. DE MANVBIIS CIMBRICEIS ET TEVTONICEIS ÆDEM HONORI ET VIRTVTI VICTOR FECIT VESTE TRIVMPHALI CALCEIS PVNICEIS. Alij vt Ræuardus Var. c. XIX. lib. I. *calceis patricieis*, & intelligi volunt calceos mulleos, de quibus eſt apud Feſtum. Ego tamen rectum puto, illud *calceis puniceis*. Neque enim illud ſingulare, C. Marium virum triumphalem, *calceis* vſum *patriciis*, ſed regum Albanorum exemplo, *calceis puniceis*. quod in C. etiam Iulio Cæſare notauit vt ſingulare Dio lib. XLIII. eum vſum, τῇ ὑποδέσει ὑψηλῇ καὶ ἐρυθροχρόῳ, κατὰ τοὺς βασιλέας τοὺς ἐν Ἄλβῃ, *pedum tegmine ſubinde alto & puniceo, vt Albanos reges olim*, &c. At patricij calcei quoque aliqui nigri, vt apud Iuuen. Sat. VII. Templum itaq. illud C. Marius Coſ. VII. fecit & dedicauit, & quidem ſubmiſſius ceteris, Eáq. de re Feſtus in *Submiſsiorem*, Victruuius c. I. lib. III. & procemio lib. VII. Cur autem iunxerit C. Marius ædem Virtutis atq. Honoris eleganter diſſerit Aurel. Symmachus & D. Auguſtin. locis antedictis.

Ac omnium quidem virtutum propria illa eſt quaſi merces, laudis & gloriæ. Sed quo præſtabilior quæque ac maior eſt virtus, eo maius honoris flagitat præmium. Honoribus igitur ſummis decoranda

eſt



A. Basilica Magnanimitatis & Modestiæ
B. Columnæ XII. sustinentes basilicam inter quas XXX. modò, aliâs XXXI. vel XXXII. columellæ, quælibet earum ex candido marmore & nigro mixta. In capitellis autem columnarum, signa XII. orbis signiferi.
C. Portæ huiusce vrbis IV. significationem habentes, IV. anni partium.
D. Scalæ quibus in cællam Honoris adscenditur, à porta Auctumni. In latere autem vtróque scalarum statuæ positæ magnanimorum.
E. Scalæ, à porta Æstatis, in spondis earum, sed mediis tantum, vtrinque statuæ modestorum, siue eorum qui in honore mediocri acquieuerunt. His scalis vicinæ illæ, quæ à porta Veris sunt, ruinosæ & caducæ, ad quarum latus vnum iacent humi effigies, inanium ostentatorum Magnanimitatis, siue superborum: ad latus alterum effigies ambitiosorum iacent.
F. Scalæ à porta Hiemis, quas columnarum vice fulciunt, vna ex parte pusillanimi: ex altero autem latere humi sub scalis abstrusi iacent solidæ laudis veræq. gloriæ contemtores.
G. Cælla Honoris.

est Magnanimitas, quoniam virtutibus ceteris longè multúmque excellit. Ἔοικε γὰρ, vt iam olim dixit Aristoteles c. III. lib. IV. ad Nicomach. ἡ μεγαλοψυχία, οἷον κόσμος τις εἶναι τῶν ἀρετῶν, μείζους γὰρ αὐτὰς ποιεῖ. *Magnanimitas*, inquit, *ceterarum virtutum quasi ornatus quidam esse videtur, etenim ampliores eas facit*, &c. Nam ceteræ quidem virtutes, tenui apparatu laudis contentæ sunt: hæc sola est quæ nihil nisi grande, amplum, inlustre, ac pæne diuinum expetit. Quare in nullius virtutis quam Magnanimitatis domicilio, rectiùs Honor ipse potuit collocari. Apex enim virtutum Magnanimitas, apex Magnanimitatis Honor est.

NITITVR HIC VALIDO FVNDAMINE.

Describere ingreditur anni templum, in quo, vt iam diximus, fanum Magnanimitatis inclusum est. Huiusce vero templi columnæ duodecim, menses anni: triginta columnæ inter has minores interiectæ, siue columellæ, parte vna candidæ, parte altera nigræ: dies hæ quippe & noctes mensium. Tectum autem ipsum fornicatum est, vt Ennius poëta dixit, *cæli ingentes fornices*. Denique distinguitur stellis, anni enim quasi tectum est.

Cælum, stellis fulgentibus aptum.

vt idem locutus est Ennius. Portæ huiusce fani, siue horæ, siue partes quatuor totius anni, Ver, Æstas, Auctumnus, Hiems. Capita ipsa columnarum siue mensium, denotant signa siue partes duodecim orbis signiferi, in quo Sol ipse procreator anni, conuertitur: Non dissimilis Atheniensium olim ciuitatis descriptio, vt apud Suidam, in γεννῆται. Nempe in phylas quatuor, tanquam horas siue anni tempora, ver, hiemem, æstatem, autumnum: Phylæ deinde rursus in tres fratrias diuisæ, perinde vt anni tempora in tres menses: frartiæ, postremò in triginta γένη siue gentes. Quibus collectis numerus existit CCCLX. quot dierum annus fuit, in antiqua ciuitatis Atheniensium descriptione. Male apud Suidam est numerus CCCLXV. Nam is numerus, illa ciuitatis descriptione longè posterior est.

Græci quidem minoris anni, dies CCCLX. fuisse, plurimis Herodoti, Aristotelis, Cleobuli, M. Varronis C. Plinij, aliorum testimoniis doceri potest. At illa apud Suidam numeri CCCLXV. pro CCCLX. incorrecta critici alicuius correctio est.

MAGNI HÆC ANIMI VIRTVS.

Explicat nunc Reginæ, vim naturámque Magnanimitatis Aristoteles, & virtutis tantæ finem & quasi scopum ei proponit ante oculos, Magni scilicet animi esse ad res magnas difficilésque aggredi, & mereri vt honoribus amplissimis decoretur. Ita quidem, vt in illo quasi gloriæ cursu, ne tantillum quidem laboret, si debitus ei honos vulgi iudicio non fuerit delatus, si existimatio aut gloria clandestinis obtrectantium sermonibus & consiliis oppugnetur. Regia enim illa magni, excelsi animi virtus,

Non sumit aut ponit secures
Arbitrio popularis auræ.

NEQ. SI FORS RISERIT.

Hoc etiam magni animi atque excelsi officium est, æquabilem se in vtráque fortuna præbere, tum prospera tum iniqua. De Olympi autem cacumine notissima historia est.

AC NEQ. POSCIT OPEM.

Hæ iam propriæ quædam fortis magnique animi notæ sunt, vt non petere auxilium, sed petenti ferre: amplitudinem gloriæ, & virtutis, honestatem, diuitiis omnibus anteponere: nihil nisi magnum & præclarum moliri: inusitatas gloriæ vias indagare, tritas relinquere.

NVNC, INQVIT, HONORIS.

Tempus inquit iam esse Aristoteles, Honoris adytum ipsum lustrare, quod in basilica Magnificentiæ medium est. Sed præclarè auctor duo Magnanimitatis genera distinxit, perfectæ vnum, siue diuinæ & heroicæ, alterum inchoatæ, siue humanæ. Perfectæ sedem posuit in ipsis adytis siue penetralibus Honoris: humanæ autē locū dedit in ipsis gradibus scalarum, quibus in adytum Honoris ascenditur. In graduum verò lateribus ipsis siue spondis, vtrinque statuæ sunt, virorum animi quidem maximi, sed nondum eò vsq. virtutibus exaggerati, vt in templum ipsum recipiendi sint.

Iam quaternæ scalæ, quarum gradib. templum ascenditur, sunt actiones Magnanimitatis primùm, deindè virtutis quoque illius quæ modicis honoribus acquiescit: tum quatuor extremorum siue vitiorum quæ virtutibus his aduersaria sunt, vt die sequenti planius fiet.

In vnis igitur harum scalarum, ostendit Aristoteles Reginæ statuas illorum, qui magnitudine animi cæteris excelluerunt. In primis autem Socrates ibi est, qui cum ab Anito & Melito, conflata ex fraude, fallaciis & mendaciis accusatione premeretur, nec *patronum*, vt inquit Tullius, *quæsiuit ad iudicium capitis, nec iudicibus supplex fuit, adhibuitque liberam contumaciam à magnitudine animi ductam, non à superbia. Et supremo vitæ die de immortalitate animorum multa disseruit, & paucis ante diebus cùm facilè posset educi è custodia, noluit. Et cum penè in manu iam mortiferum illud teneret poculum, loquutus ita est, vt non ad mortem trudi, verùm in cælū videretur ascendere.* Hæc M. Cicero. Lucianus tamen Socratis mortem, vt inani quadā magni & virtutibus exaggerati animi specie fucatam, irrisit, in mortuorum dialogis. Et Quinctus Septimius Florens Tertullianus cap. 1. lib. de anima, virtutem illam Socratis ait *plebeiam* fuisse ac *vulgarem*. Vulgo enim solere homines, si aliter vindicare iniurias suas nequeunt, saltem vlcisci eas quadam specie contemnentis. *Quid*, inquit, *aliud saperet vir quilibet iniuria damnatus, præter iniuriæ solamen, ne dum philosophus gloriæ animal?* Sed Luciani quidem fabulas omittamus,

maledici conuiciatoris, & qui Ioui etiam ipsi iniquè iniurius ac infestus est. Tertullianus autem de Socrate locutus est facta cum Christianæ gentis virtutibus comparatione, in quarum splendore omnes profanorum siue ethnicorum laudes, vt stellæ in solis radio ne cernuntur quidem.

Socratis hæc prima est.

Atheniensium iniuriâ, Socratis gloriam ait inlustratam fuisse, quasi trophæo vel statua. Et quidem vt Laertius, & alij testes, breui post honorificentissimè statua Socrati Athenis posita fuit, mortem eius sub persona Palamedis interfecti miserabiliter lamentante in theatro Euripide, in qua tragœdia flebilis exclamatio illa fuit, ἐκάνετ' ἐκάνετε τὰν πάνσοφον τὰν οὐδὲν ἀλγύνουσαν ἀηδόνα μουσᾶν. *Occidistis, occidistis omniscium, nihil de vobis male merentem, Musarum lusciniam* &c. Sic enim hæc à nonnullis prodita historia est. Melius autem ἀηδόνα Μουσᾶν, quam vt est vulgò in libris Laërtij, ἀηδόνα Μούσαν.

Hic et Epaminondæ.

Proximum Socrati posuit Epaminondam, principem facilè & summum virum vnum omnis, vt M. Cicero existimauit, Græciæ, qui in exitu ipso vitæ Magnanimitate fuit singulari. *Quem enim nostrum*, inquit Cicero epist. ad L. Luceium, *ille moriens apud Mantineam Epaminondas nō cum quadam miseratione delectat, qui tum denique sibi auelli iubet spiculum, postquam ei percontanti dictum est clypeum esse saluum, vt etiam in vulneris dolore æquo animo cum laude moreretur?* eáque à plurimis commemorata historia est, vt Valerio c. II. lib. III. Iustino lib. VI. Pausania in Atticis & Arcadicis, Paullo Orosio c. II. lib. III. aliis sexcentis, qui etiam vulgo noti sunt.

Ordine lævo Romulidæ.

Altis atque excellentibus viris quos Græcia tulit, statuas in dextra scalarum parte collocauit: nunc Romanos eis ex altera parte opponit.

Sed nulli propiore gradu.

M. Iunium Brutum, qui reges expulit, è regione positum ait Timoleontis Corinthij, vt ea res indicio sit pari cos fuisse magnitudine animi eosdémque in gradib. propiorib. templo constituit, præcipuam eis tribuens laudem magnanimitatis. Brutum verò ac Timoleontem pares fecit, quoniam Brutus filios suos & vxoris suæ fratres, Tarquiniorum tyrannidi velificantes, securi percussit: Timoleon fratrem suum Timophanem, regnum Corinthi adfectantem, oppressit. M. Bruti tamen facinus, à multis quasi immane vellicatum est, vt D. Augustino c. XVI. lib. III. de ciuit. Dei, Paulo Orosio c. V. lib. II. Qui nimis quidem fortasse inclementer ea de re sic locutus est. *Brutus*, inquit, *primus apud Romanos Cos primum conditorem regémque Romæ, non solum exæquare parricidio, sed & vincere voluit.* Sed hi quidem Christiani, quorum peculiare hac in

parte iudicium est:Romani autem ipsi M.Iunium Brutum, quasi liberorum saluti,patriæ libertatem suæ fortiter antepoſuiſſet summis in cælum laudibus extulerunt,vt Valerius c.IIX.lib.v. *Exuit*,inquit,*patrem vt consulem ageret ,orbusque viuere quam publicæ vindictæ deesse maluit.* Et Claudianus lib.I.in Eutropium M.Brutum ait visum esse,

miſero ciuem præponere patri. Et Virgilius Æneide VI.

Vtcunque ferent ea fata minores,
Vincet amor patriæ

Siue dolenter,inquit Anchiſes, siue lætis animis *nostri minores* siue Romani,mortem liberorum M.Bruti accipient,parentis quidem certè animum *vincet amor patriæ.* Quanquam scio interpretationem aliam esse D.Augustini c.XVI.lib.III.de ciuit.Dei,& Seruij Grammatici. Eademque de re sapiens Plutarchi diſputatio est in Valerio Poplicola & Zonaræ in annalibus lib.II.

QVADRIGA VIRTVTVM POSITA EST.

In puluini planicie siue area,cui Honoris adytum, siue penetrale impositum est,ad quatuor angulos sunt quatuor simulacra, virtutum scilicet quatuor maximarum,siue,vt vulgo vſurpari solent, cardinalium, quibus ornatum atq. instructum esse oportere ait, pectus hominis perfectè magnanimi,ac promerētis vt quasi Phidiæ Minerua in arce olim Athenis,sic statua eius in æde Honoris reponatur. Neque enim fas est simulachrum vllius hominis in adyto illo ipso locari,nisi qui totius honestatis amplissimo præmio,summáque amplitudine & gloria dignissimus inuentus sit. Vt enim sapienter ipse olim Aristoteles c. III. lib. IV. ad Nic. παμπαν γελοῖος,ὁ μεγαλόψυχος,μὴ ἀγαθὸς ὤν. *Omnino ridiculus est magnanimus,si non idem vir bonus.* Qua laudis atque honoris præcellentia cum paucissimos aut verius nullos existere,auctor significationem dare vellet,acutè Honoris adytum illud sine vllis statuarum ornamentis posuit.Conuenienter hoc illi Aristotelis sententiæ c.III.lib.IV.ad Nicom. Χαλεπὸν τῇ ἀληθείᾳ μεγαλόψυχον εἶναι,οὐ γὰρ οἷόν τε ἄνευ καλοκαγαθίας. *Difficile est, reapse ac veritate,magnanimum esse. Nec enim eiusmodi esse quisquam potest, qui non idem vir bonus.* Dixit autem Poëta,Honorem ibi esse cum sociis, siue συμβώμοις siue συνθρόνοις,respiciens opinor ad Mediifidij Dei imaginem,quæ sic solita exprimi,vt à dextra esset *Honor* Deus,à læua, Dea *Veritas*,medius inter hos *Amor*,vt hodiéque Romæ in marmore Pario , & Narbone Martio,in muro ipso vrbis. In hanc igitur Honoris cællam, Regina cum Aristotele & comitatu suo ingressa vespere , manebit donec cum solis exortu facultas reddita sit, aliud aliquid in Veri ciuitate contemplandi.

DIES TERTIVSDECIMVS,

DE MEDIOCRITATE HONORVM, ET MAGNANIMITATIS ATQVE HVIVSCE HONORVM MEDIOCRITATIS, extremis.

SIDERE vt hiberno, sera sub nocte viator,
Verbere ventorum pluuiaq; exercitus acri,
Difficiliq. errore viæ, si acceptus amici
Hospitio lauti est, & qui bene focilet, illi
Penula non scindenda, dies obducere paucos
Vt velit, & lentè properat, nisi res aliqua vrget:
Sic de purpurei non cessit limine templi
Præproperè Domina, & gradibus descendere cœpit
* Ianitrix. *Limen ad illius portæ, ceu ianea * seruat*
Feruida quam spicis æstas incincta capillos.
Substitit, & breuiter Sapientem adfata, Meretur,
Dixit: Alexander, quondam tuus ille, reponi
Intra purpureum Venerandi limen HONORIS.
Suscipit, &, Staret meus hîc cognomine laudis
Magnus Alexander, Sapiens ait, omnia sano
Pectore si recolens, mea quæ præscripserat illi
Vtiliter schola, de solida certamine laudis,
Non temerè ambisset Deus immortalis haberi,
Et Iouis Ammonis diuina stirpe creatus,
Non genitore satus, dederant quem fata, Philippo.
Accipio dixit causam Regina, sed illud
Scire velim, medio graduum cur limite, nulla
Altior effigies posita est, primíque relicti
Sunt vacui? Debent quia laudis præmia semper,
Respondit Sapiens, velut æquo examine lancis,
Adtribui, & rebus pariter concurrere gestis:
Iustum quadriiugis nec equis agere ille triumphum
Debet, pro meritis cui merces ampla pedester,
Aurea nec nitidè huic circum caput ire corona,
Myrto qui meritus modica præcingere frontem.
Qui rapit immeritò claros malesanus honores,

Turpior ipse abit, & raptos infamat honores:
Quiq. dat indigno Virtutis præmia, laurum,
Deripit herentem nulla cum laude coronam
De capite ipse suo, famam sibi sauciat ipse.
Præterea medium nulla hic transcendit imago,
Atq. micant circum minus omnes lumine claro,
Quam quæ magnanimis posita regione propinqua
Templi purpurei, modicos quia carpere honores
Contenti, nihil vlterius extendere pinnas
Solliciti, neq. magnanimis certare, nec infra
Metas se abiicere, atq. animis reptare pusillis
Gaudent, vt neq. magnanimi se tollere cælo
Icariis altè properant audaciter alis,
Purpurei sæpe vt proceres, regésq. superbi,
Dum Fors immeritis paullisper blanda, renidet,
Excellunt animos, & pulsant limen Olympi
Vertice, nec minus interea quoq. ludere & vngi
Gaudent indecores, & lasciuire proteruè.
Cæca superueniens subitò incautos hera, tangit,
Sicut ab insidiis, & ouantes callida in ipso
Opprimit articulo. Sudo velut æquore cæli,
Incita prægestit variis agitare columba
Flexibus, & celeres iteratis plausibus alas: Plinius c. xxxvi. lib. x.
Fronde sub arborea mussans, speculatur ouantem
Callidus accipiter, plausúsq. prehendit in ipsa
Lætitia. Proclamat io, Fastigia, serui
Cingite mi longis circum festiua coronis: Epictetus
Mox heu heu, miserè longis vlulatibus idem
Rex Agamemno iterat. Scalis deiectus ab altis
Adspice Tarquinius iacet hîc, quà limite verno
Exitus est ædis, magni ostentator ineptus
Olim animi, & titulo sibi conueniente, SVPERBVS.
Hac quoq. parte duces, ventosa superbia fibris
Insita, quos reges, non virtus regia fecit,
Qui postquam Deus ille prius, dein vix homo, vesci
Magnus Alexander vitali desiit aura,
Europaq; Asiaq; suis ditissima regna
Diripuere armis, atq. vrbes stragibus omnes
Impleuere & agros, vmbris velut excitus imis
Eumenidum chorus, aut vltrices æthere Diræ.
Protecta latus ad læuum, fractaque ruina

Illorum statuæ, gradibus tentauit Honoris
Ponere quos leuis AMBITIO. *Nunc illius vmbra*
Occulit hos templi & graduum, conamine magno
Quos, sed stultomalo tenuerunt turpiter olim.
Porta sed hiberni quà frigida panditur anni,
Scalarum gradibus veluti fulmenta, pusillæ
Sunt positæ statuæ, risu contemnere quales
Promtiùs incipias, odio quam perprimere acri.
His statuis similes, ipsi bona qui sua stultè
Nescire, atq. animis soliti reptare pusillis,
Tendere non audent oculos ad limen HONORIS.
Paruula sub scalis veluti proiecta sigilla
His etiam cernis. Tales, quibus inclyta sordet
Gloria, queis nulla tentat dulcedine pectus
Segne, comes Virtutis Honor: sed viuere ruri
Contentè, & latebris tecti sese abdere, testa
Reptilis vt testudo sua se continet, vsq.
Malunt, quam mersare foro, atq. in luce videri,
Purpureóq. aliis excellere vertice honoris.

SIDERE VT HIBERNO.

TERTIVS decimus hic iam est dies in Veri ciuitate, quo die non egressus ex templo Magnanimitatis Aristoteles, pergit de alia virtute Reginam docere, nempe illa, quam ipse olim ad Nicom. c. IV. lib. IV. vacare dixit nomine. Non defuerunt tamen qui Latinè appellarint *Modestiam*, quanquam id à Cicerone & D. Thoma, longè aliter nomen vsurpatum est. Nonnullis etiam visa est nominari posse *Tranquillitas*, quoniam mediocri honore qui cõtenti sunt, ij *remoti à studiis ambitionis*, vt ait M. Tullius, *otium & tranquillitatem sequuntur*. Ego circuitione vsus, honorum mediocre studium dicere malim: sic enim videtur intelligi posse faciliùs, hæc illa esse virtus, quæ mediocribus siue modicis & paruis honotibus lætatur: vt Magnanimitas, quæ gaudet magnis & præclaris.

Hodierno igitur die, in Veri ciuitate, lustratio est tẽpli, illius Virtutis quæ in omnigenere aliarum virtutum res mediocres adpetens, & modicis honotum præmiis contenta, sic à Magnanimitate differt, vt Liberalitas à Magnificentia: quarum altera modicarũ, altera non nisi præclarissimarum rerum largitas est. Cùm igitur duæ sint virtutes honorũ gubernatrices, nempe Magnanimitas, & Mediocritas, honorum: vtráq. à duobus extremis oppugnatur. Ac primùm Magnanimitati aduersaria est, hinc μικροψυχία, id est, animi paruitas & angustiæ: inde χαυνότης siue

inanis quædam oſtentatio & ſpecies Magnanimitatis, ſiue ſuperbia, ſtultáque animi elatio. Vtraque labes animis humanis, à virium ſuarum ignoratione ac meritorum, infertur. Nam quibus honores ampliſſimi debentur, ad eos tamen vt indigni adſpirare non audent, ij puſillo animo ſunt: qui autem honoribus ſummis decorari non merentur, eos tamen ſibi deferri & dari petũt, ij χαυνοὶ ſunt, ſiue inaniter magnanimi, ac ſuperbi. Modeſtiæ verò hinc φιλοτιμία ſiue ambitio repugnat, inde ἀφιλοτιμία ſiue animi abiectio & vilitas, nullius plane honoris adpetens.

Die igitur ſuperiore de vi naturáque Magnanimitatis egit Ariſtoteles: nunc de virtute in mediocribus ſiue paruis honorum præmiis acquieſcente, & vitiis cum hac ipſa virtute, cumque Magnanimitate pugnantibus, explicabit.

Eleganti autem Ariſtoteles comparatione, & vndecimi diei principio contraria, exorſus eſt. Nam die XI. Reginam ex Auaritiæ tectis tanquam ſordido & illiberali hoſpitio lætanter emerſiſſe narrauit,: nunc viceuerſa ait, ex Honoris templo illam quaſi hoſpitem ex amœniſſimo deuerſorio, perinuitam diſceſſiſſe, vt oſtenderet eam ad excellentem gloriæ formam amplectendam, ardenter fuiſſe incitatam.

MERETVR DIXIT, ALEXANDER QVONDAM TVVS.

Ante-occupatione artificioſa, principiò ſtatim ſuſtulit dubitationem de Alexandro. Quare is tantis rebus geſtis, tanta apud omnes gloria, repoſitus non ſit in ſacello ipſo & penetralibus Honoris. Itaque Regina inducitur huiuſce rei cauſam ſciſcitans ex Ariſtotele, qui perinde vt die quinto agens de fortitudine, ita nunc reſpondet, Alexandrum nequiſſe vincere animum ſuum, aut fortunæ blandimenta moderatè ferre. Ergo nec iniuriâ ex Honoris adyto excluſum eſſe, abiectúmque in vallem Audaciæ.

SED ILLVD SCIRE VELIM.

Duarum virtutum, *Magnanimitatis, & mediocris honorum ſtudij*, ac vitiorum quatuor, *Animi puſilli, Superbiæ, Ambitionis, Animi abiecti*, ſtatuas in baſilica Magnanimitatis Poëta ingenioſiſſimè collocauit, facta diſtributione per ſcalarum gradus, quibus ad Honoris ſacellum aſcenditur. In templo enim anni portæ quatuor, vna *Autumni*, altera *Æſtatis*, tertia *Veris*, quarta *Hiemis*. A portis autem hiſce totidem ſcalæ ſunt, ad Honoris adytum directæ. In quarum primis, nempe Autumni ſcalis, poſitæ Magnanimorum ſtatuæ. In ipſis autem lateribus, & ſpondis graduum Æſtatis, poſitæ ſunt effigies illorum, qui mediocres aut paruos honores tantum expetunt. De gradibus autem Veris deiectos, pingit ſuperbos & ambitioſos, humíque illos à dextra iacentes, hos à læua. Ad ſcalas Hiemis quaſi paraſtatæ, puſilli animi homines: ſub ipſis autem abſtruſi ſolidæ laudis, veræque gloriæ contemtores. Neque enim digni erant qui in gradibus locarentur, cum quaſi in angulis mallent latitare, & ſub gradibus occultari.

His ita intellectis,ordo huiusce diei apertissimus est. Nam gradus Magnanimorum die antegresso explicati sunt,hodierno autem die Regina transit à gradibus Auctumni ad gradus Æstatis, in quibus effigies contemplari licet illorum qui modicis honoribus lætantur. In his autem scalis animaduertit Regina in mediis tantum gradibus simulacra esse,summos autem atque imos vacare. Itaque causam huiusce rei sciscitatur ab Aristotele.Is respondet, medios tàntum his gradus occupari,quoniam hæ scalæ sunt illorum qui mediocribus siue modicis honoribus contenti sunt,neque ardua quædam & præclara suscipiunt, neque summi honoris præmium efflagitant, neque tamen aut inertiæ & languori sese dant, neque mercedem laudis gloriæque contemnunt.

SCALIS DEIECTVS AB ALTIS.

De gradibus vernis deiecti in dextrum latus superbi, siue inani quadam specie Magnanimitatis tumentes,vt tyranni ac reges,illi,quos non virtus vlla, sed Fortuna vocauit ad principatum,vt olim Tarquinium Superbum Romæ,& duces illos qui Alexandri armis quæsitum imperium, quasi prædam mortuo illo partiti sunt.

PROIECTÆ LATVS AD LÆVVM.

Ambitiosos pingit humi stratos, & iacentes, deturbatos nempe de gradibus vernis ad læuam, eosque vmbra templi Honoris & graduum eius occultati fingit, quia ad honores ambitione, & gratia pecuniáue grassati,non ipsos honores,sed vmbras eorum adepti sunt, siue vt Tullius in Bruto dixit,non ipsos *honores sed nomina. Stultomalo* autem Poëta dixit μωροπονηρός.Isidor. Glossis.*Stultomalus. Stultus malus.* Sic Plauti Patruo.*Mores mori & mali.*

PARVVLA SVB SCALIS.

In scalis Hibernis gradus à minutis sigillis sustinentur, denotantibus animi pusilli homines,qui bona ipsi sua nescientes,non audent ad honorem adspirare. Sub gradibus autem humi proiectæ iacent paruulæ statuæ,significationem habentes eorum,qui honores contemnunt nullúmque laudis & gloriæ gustatum habent.Ex qua gente Seruilius Vatia latitans in villa sua.In quem iocus L.Senecæ epist. LV.*Vatia hic situs est.*

DIES QVARTVSDECIMVS, DE MANSVETVDINE ET PVGNANTIBVS EI VITIIS, IRACVNDIA ET LENTITUDINE.

LAETA rubescebat, croceum Tithonia peplum
Eoa regione trahens: suffusa rubore
Vt noua nupta sui quæ sponsi limina tangit
Suspenso pede, læta, suo mox Caia futura
Caio: prætérito Senior cùm limine portæ,
Auro quæ rutilat, flamásq; imitante pyropo,
Restitit ad portam, quæ cardine stridet aheno,
Atq; nouem decorant summo quam vertice Musæ,
Et quæ principio nos in pomœria misit
Vrbis huiusce intro Sapiens, celeberrima, Veri.
Hic prope visa domus, teneris pulcherrima saxis,
Molli structa manu: Tusci tornatile quale
Effodiunt, docti varios effingere in vsus.
Hanc orsus Sapiens Reginæ ostendere, dixit
Hac ANIMI VIRTVS MANSVETI sede moratur.
Valuarum ante fores, dextra læuáq; columnæ
Stant geminæ: imposita his aurata coronis, ahena
Hic lupa stat, geminósq; suo velut vbere rumæ
Nutrit, belligero peperit quos Ilia Marti,
ALTELLVMQ. animi vegetum, REMVLVMQ. remissi.
At spatio interiore domus patet area, scabro
Occupat hanc moles mediam de marmore, celsa,
Cernitur impositum cui vasti corpus ahenum,
Et septemgemina toruum ceruice, draconis.
Tergeminum dextro lateri, mirabile dictu
Est caput, à læua totidem ceruicibus horret.
Septimus est, alios qui magno in corpore longè
Exsuperat vertex, medius, vinctúsq; corona.
Omnibus è turpi feruens ac lutea rictu
Vnda fluit; qualis Tuscis de montibus humor
Labitur in thermas, ægris qui sæpe salutem

Contulit optatam, vana spe sæpe salutis
Elusit, miseros tristésq. abscedere passus.
Hanc itaq. in molem gradibus conscendere iussit,
Atq. viam Sapiens simul ipse praiuit, & isto,
Adspicite vt capite ex medio, cinctóq. corona
Luteus, & multo medicatus felle veneni
Profluit in capidem subiecti marmoris, humor,
Dux ait; hinc proceres, hinc magni pocula reges
Hausta bibunt, irásq. acri sub pectore sæuas
Concipiunt: labro vulgus se proluit amplo,
Et furere incipiens, armis contendere gestit:
Titan de meliore quibus præcordia finxit
Argilla, bibere hunc mediis qui profluit humor
De gradibus, gaudent, vbi magnis pocula miscet
Regibus, innocuósq. facit CLEMENTIA *fontes,*
At plebi, laticis PATIENTIA *temperat æstum.*
Est operæpretium quoq. cernere, sæuus vtrímq.
Vt geminæ multo caudæ draco verbere, subter
Effigies scabra sculptas in mole flagellet.
Agmine in hoc prima est, rugis perarata SENECTVS
Ponè subit squallens, & plena ruboris EGESTAS,
Hic etiam pugnax telis pharetráq. CVPIDO,
(* Lassitudo. D. Augustinus c. XXI. lib. IV. De Ciuit. Dei.) *Cuiq. mederi olim* FESSONIA *credita, morbus**
Et malesuada FAMES *pallenti inamabilis ore.*
Ast alio caudæ monstrosa volumine stringit
Bellua, parte alia, sculptas in marmore scabro
Effigies, & AMICITIAE *&* PIETATIS. *Habenas*
Namq. suæ laxans iræ, non parcere iunctis
Nouit amicitia, Diuísq. irascitur ipsis.
Ast ima egelidus qui margine defluit humor,
Et piger, vt stagnantis aquæ, cui potus, hebescit
Et stupet insensus, neq. res agere aptus, & ira
Omni expers, patitur vecors ruere omnia retro
In peius, laxisq. negocia perdit habenis.
Solis laus manet his, quos lenes hausta remittunt
In gradibus, summo atq. imo distantibus æquè
(Arist. c. v. lib. IV. ad Nicom.) *Pocula, clementi & patienti mixta tepore.*
Succensere sciunt, quibus, & cur, quatenus, & quo
(* Ferramẽta samiata. Aurelianus apud Vopiscũ.) *Tempore, quoq. decet spatio. Sua miles vt arma*
Samiat, * *obtusamq; faber ceu cote securim:*
Sic animos illis acuit, forteśq; gerendis

Ira facit rebus, nimiúmq. fluentia stringit.
Hæc sapiens, Noctísq. rotas iam Sole cadente
Adproperare videns, sermonis stamina rupit.

LÆTA RVBESCEBAT.

SATIS depictæ iam illæ virtutes, quibus animus humanus seorsum ipse instruitur & ornatur. Nam fortitudo in periculis ac rebus formidolosis versari docuit: temperantia opprimere voluptates: Liberalitas & Magnificentia elargiri pecuniam: Magnanimitas, & virtus illa quæ modicis laudibus contenta est, petere honores: nunc illæ nobis exprimendæ virtutes sunt, quæ inter homines versari, siue hominibus commodissimæ, vti docent, siue vt à Græcis dicuntur, ὁμιλητικαί.

Sed acerbitas quædam naturæ, & rabies, siue iracundia, vsum familiaritatis & consuetudinem vitæ in primis lædit, vitámque ex vita ipsa tollere videtur. Quis enim iracundis, acerbis, asperis hominibus delectari potest? In quam sententiam copiosè disputauit Plutarchus libro de cohibenda iracundia. Itaque ante ὁμιλητικὰς siue consuetudinis quotidianæ virtutes, de reprimente pestem illam societatis iracundiam, virtute scilicet lenitate ac mansuetudine dicendum fuit.

In huiusce igitur ædes virtutis, hodierno die qui in Veri ciuitate mẽsis Nouembris dies quartus decimus est, Regina introducitur. Egressa enim ex templo Magnanimitatis, proficiscitur in regionem ac sedem Mansuetudinis, vicinam auditus portæ, per quam Regina principio huiusce profectionis in Veri ciuitatem introiuit. Ingeniosissimè autem hoc auctor ita commentus est, Mansuetudinis tecta & Iracundiæ vallem, ad portam audiendi esse. Nam rerum displicentium auditione, ira efferuescit, eáque mansuetudini materies, nempe iracundiæ reprimendæ, occasio suppeditatur. Quod sapienter quidem Xerxes vidisse videtur, apud Herodotum lib. VII. qui Pythiæ cuidam hospiti suo, grauiter succensens, quod petitio eius quædam ipsi permolesta contigisset, *Animum* dixit *in auriculis habitare.* Εὖ νυν τόδ᾽ ἐξεπίστασο, inquit, ὡς ἐν τοῖσι ὠσὶ τῶν ἀνθρώπων οἰκέει ὁ θυμὸς, ὃς χρηστὰ μὲν ἀκούσας τέρψιος ἐμπιπλέει τὸ σῶμα, ὑπεναντία δὲ τουτέοισι, ἀνοιδέει. *Scito igitur,* inquit, *animum in auriculis habitare, qui si res gratas auditione acceperit, corpus totum sensu quodam voluptatis adficit: sin autem res iniucundæ & odiosæ fuerint, ira inflatur ac turgescit.*

Ordine igitur nunc ad Mansuetudinis tecta peruentum est, quæ quidem peropportunè auctor exædificauit eo genere saxi, quod quia candore insigni est, & venulis quibusdam fuscis interpunctum, alabastrites quidem propriè non est, sed propter similitudinem tamen vulgò sic Hetrusci Florentiæ nominãt. Est autem saxi gen⁹ aut succini potiùs, ita molle ac tenerum, vt etiã tornari non difficulter possit, inque aliã atq;

aliam



A. Manſuetudinis palatium.
B. Fons in area media impluuij, denotans vitia quæ cum Manſuetudine pugnant, Iracundiam & Lentitudinem.
C. Draco in faſtigio fontis, Iræ ſignificationem habens.
D. Vas aureum in quod ex draconis capite aqua influit denotans iram regiam, & principum.
E. Aqua quæ ex draconis alis fluxit in labrum, qua potati iras concipiunt.
F. Quinque ſtatuæ ſignificationem habentes malorum quibus oppreſsi, facilè iraſcuntur, Senectutis, Egeſtatis, Amoris, Famis, Sitis, Defatigationis. Eáſque ſtatuas draco caudæ ſuæ volumine vno flagellat. Ex altera parte ſtatuæ ſunt Pietatis & Amicitiæ, quas draco caudæ volumine altero verberat: ſed pictura eas exprimere non potuit. Denotant autem valdè iracundos, amicis etiam & parentibus, Deo etiam ipſi ſolere iraſci.
G. Tria ſerpentum ora in alis draconis, quibus denotatur iracundiæ genus triplex,
H. Clementia, quæ hydriæ ſuæ aqua refrigerat temperatq. iram regiam.
I. Patientia quæ lenit ac ſedet iram priuatorum.
K. Aqua lenta & qualis ſtagnorum, denotans Stuporem, vitiũ Manſuetudini pugnans defectu

aliam ſpeciem effingi. Itaque ſubſtructioni ædium illarum quas incolit Manſuetudo ſiue lenitas, hæc materies conuenientiſſima eſt. Manſueti enim animus, facillimè ad ignoſcẽdum inflectitur. In ipſo autem veſtibuli faſtigio, lupæ ſimulacrum eſt nutricantis Remum ac Romulum: argumento, manſuetudinis quoddam inter feras etiam & homines quaſi commercium eſſe. Et dixit Poëta.

Altellúmque animi vegeti, Remulúmque remiſſi. Eo reſpiciens, quod Romulus dictus *Altellus* à nutrice Acca Laurentia, pueris blandiente, quaſi dignus ali propter vires corporis & animi: frater autem eius Remulus quaſi tardus & remiſſus, cuiuſmodi homines dicti olim *Remores.* Auctor de Origine gentis Romanæ. Et alij.

At spatio interiore domvs.

Intellectum eſt manſuetudinem eſſe iræ temperationem. Sic enim Ariſtoteles iam olim quoque nominauit eam, ὀργῆς καθίστασιν καὶ ἠρέμησιν. c.III.lib.I. Rhetoric. Mediocritas autem hæc ſiue temperatio, à duob. extremis oppugnatur. Hinc ab iracundia, inde ab illa, quam Ciceroniano verbo nominemus licet, *lentitudinem*, qua tanquam ſtupore, ſic animi obtorpeſcunt, vt ne iuſtiſſimis quidem iraſcendi cauſis excitentur. Has igitur nunc maculas animi demonſtrare incipit, quo cognitæ facilius eluantur. Sed principio iram ipſam quaſi fontem iracundiæ & caput, ſignis certiſſimis notat, pingens eam eſſe quaſi draconem, omni diritate atque immanitate teterrimum, cuius ſignum aheneum, poſitũ eſſe ait in planitie quadam gradibus exaggerata, cuius latera dextrum læuumque, ſigillis aliquot adornata ſint. Draconem vero ipſum vtrinq. ait alarum vice, deformatum eſſe tribus ceruicibus anguinis, collum quoque anguinum eſſe, ſed caput ſpecie figuráque humana, & redimitum diademate. Caudas præterea innatas ei geminas, ita demiſſas & pendentes, vt ſigilla quæ in plani illius baſi eſſe diximus, vtrinq. aſtringere facillimè poſſint, atque hæc læuæ partis, illa dextræ effigies eminentes circumplecti. His ita verſuum tanquam penicillo depictis, adiungit draconem illum immanem ac fœdum, è ſeptem illis capitibus furenter efflare copiam aquæ feruentis ac flauæ, ex qua etiam vapores teterrimi excitentur, cúmque humorem elegantiſſimè cum aqua in thermis Hetruſcis efferueſcente, comparauit. Molem verò illam cui draco impoſitus ex marmore ſcabro eſſe ait. Ira enim quaſi ſcabitudo animi eſt. Hinc Petronius, *Omnem ſcabitudinem animo delere.*

Hanc itaqve in molem.

Poſtquam adſcenſu arduo in puluinum illum peruenerunt ſiue molem exaggeratam, vbi ſedes draconis eſt illius ac prodigij, à quo iam diximus humorem illum efflari, vident aquam illam defluere in labrum ſiue alueum, eóque multos venire potandi gratia. Itaque accedit nunc Ariſtoteles ad draconis paulo ante quaſi ænigmate propoſiti explicationem.

Ac principio declarat, speciem illam portenti horribilem, iram esse ipsam, principium & quasi fontem iracundiæ. Tribus autem ex vtráq. parte ceruicibus anguinis, tres designari species iracundiæ, *Excandescentiam, Amaritiem*, & *Acerbitatem.* Sic enim à vulgo philosophantium hi tres quasi gradus iracundiæ, & significanter quidem, nominati sunt. Verbis autem ex M. Cicerone sumtis fortasse indigetemus licet, primùm quidem similiter *excandescentiam*, alterum *inimicitiam*, tertium *discordiam*, vt ex definitionibus à M. Cicerone lib. IV. Tuscul. quæst. positis licet intelligi. Nam excandescentia definitur à Cicerone *ira nascens & modo existens:* Inimicitia, *ira vlciscendi tempus obseruans.* Discordia, *ira acerbior, intimo odio & corde concepta.* Quæ definitiones ab Aristotelis sententia non alienæ sunt. Nam is Excandescentiam esse voluit animi habitum, iram celeriter concipientis, neque difficulter deponentis. Amaritiem habitum esse animi grauiter ac diutissimè irascentis. Quod quidem inimicitiæ proprium est. Acerbitatem denique iracundiam esse Aristoteles voluit implacabilem. Hæc autem quid aliud quàm discordia est? Quanquam acerbitatem etiam ipse pro iracundia implacabili posuit M. Cicero ad Q. fratrem.

Collum autem draconis eius quo de nunc agimus cum capite humano, & insigni regio siue diademate, Aristoteles positum esse refert, tanquam signum iræ cuiusdam Regiæ, quæ totius iracundiæ extrema quasi linea est, & priuatorum in ciuitate hominum discordiis & acerbitatibus longè furentior atque immanior. Qualem callidè notis quasi propriis insignem fecit Calcha vates apud Homerum.

Κρείττων γὰρ βασιλεὺς ὅτε χώσεται ἀνδρὶ χέρηϊ.
Εἴπερ γάρ τε χόλον γε καὶ αὐτῆμαρ καταπέψῃ:
Α'λλα γε καὶ μετόπισθεν ἔχει κότον ὄφρα τελέσῃ.
Ε'ν στήθεσιν ἑοῖσι.

Quis potis irato, inferior, contendere regi?
Esto etenim ad tempus simulatè concoquet iram,
Ast grauius post illa fremit, cum occasio ridens,
Viuáque adhuc, veteres offensio suscitat iras.

Bene & C. Tacitus Annali IV. huiusmodi irā pinxit in persona principis Tiberij. *Quæ, inquit, in præsens Tiberius ciuiliter habuit. Sed in animo reuoluente iras, etiamsi impetus offensionis languerat, memoria valebat*, &c. Qualis etiam Iustini Imperatoris iram pingit Agathias lib. IV. Et Clodouæi Francorum regis iram Gregorius Tur. histor. Francor. c. XXVII. lib. II. Neq. ineleganter aut non verè Nicetas Annali I. οἱ ἐν ἀρχαῖς, τὸν χόλον ἐνθάπτουσι, καὶ ἐνδύουσιν εἰς τὴν κατὰ καιρὸν φρυκτώρησιν καὶ καταίθρησιν. *Principes iram sopiunt, rursúsq. accendunt, vbi occasio fuerit excitandi rursus incendij*, &c. Quare autem principum iræ grauissimæ, est apud Aristotelem c. II. lib. II. Rhetoricor.

HINC MAGNI POCVLA REGES.

Narrat iracundiæ potione reges inebriari ex poculo illo, in quod ex

capite monſtri, aqua profunditur: vulgus autem ex labro illo ſiue alueo quod in planicie ipſa eſt. Prima igitur hæc ſedes attributa eſt alteri extremorum Manſuetudini ac Lenitati repugnantium, ſcilicet Iracundiæ.

TITAN DE MELIORE QVIBVS.

In medio ſcalarum ordine fonticuli ſunt, ad quos depictæ Patientia & Clementia, miſcentes aquam illam feruentem alia frigidiore, vt Clementiæ quidem aquis, regia: Patientiæ autem frigore, plebeia ira temperetur. Eſt igitur hæc media tanquam ſedes ac regio Lenitatis.

EST OPERÆPRETIVM QVOQ. CERNERE.

Duplex huiuſce monſtroſi draconis cauda. Volumine vno caudæ, Ariſtoteles implicari ait ſtatuas à læua parte illius puluini effictas, videlicet, effigiem. *Senectueis, Egeſtatis, Amoris, Laßitudinis, Inediæ.* Quoniam his malis conflictantes facilimè, vt Q. Ennius dixerit, *effundunt irarum quadrigas*: alterius verò caudæ quaſi verbere flagellari ſimulacra dexrri lateris, nempe *Amicitiæ* & *Pietatis* effigiem. Ex quo intelligi debere, iracundia inflamatos, non amicis, non parentibus, aliiſque caritatibus ſuis, non Diis deniq. ipſis parcere. Quod argumentum copioſè differit L. Seneca libris de Ira, Galenus libro de curatione morborum animi, Plutarchus libro de Iracundia. Sic apud Ciceron. epiſt. XII. lib. X. ad famil. *Ioui ipſi iniquus Seruilius*. Similiterq. epiſt. XXIII. lib. IIX. ad Attic. Et Ouidij lib. XIII. Agamemno rex *Diuis iraſcitur ipſis*. Et Alexander Magnus iraſcitur Æſculapio, apud Epictetum Arriani c. XXII. lib. II. Et Virg. Ecloga V.

Atque Deos, atq. aſtra vocat crudelia mater.

Hinc etiam *lapidatio templorum, ſubuerſio ararum, larium familiarium proiectio in publicum*, apud Sueton. Caij c. V. Neque diſſimilis hodiéque Sinarum barbaries.

In ipſas quoque res inanimas ſæuiunt, furenter irati, vt *menſam euertũt, pocula adfligunt*. L. Senecæ c. vlt. lib. I. de Ira. Suetonij Nerone c. XLVII. Et apud Galenũ libro de curatione morb. animi. Iracundi etiam *in oſtia, in lapides, in claues* ſæuiunt. *In oſtia calcibus arietant, lapides frangunt, claues mordent*. Et D. Aug. c. XV. lib. XIV. De ciuit. Dei. *Nonnunquam*, inquit, *homo, etiam rebus inanimis iraſcitur, vt male ſcribentem ſtilum collidat, vel calamum frangat iratus*, &c. Sic Martial. epigr. LXXV. lib. IX. *Frange leues calamos*, &c. Sic Herodoti lib. I. Cyrus rex iraſcitur Gyndi amni, Xerxes Athoni mõti, vt notiſſima res. In veſtes quoq. ſuas ſæuire ſoliti, eáſq. ſcindere non ſolum in luctu, ſed etiam ira, vt ille apud Silium lib. XVI.

In ſe verſus ab ira,

Auratam medio diſcindit pectore veſtem. Et Galeni libro de curat. morbor. animi. Iraſcentes etiam veſtimenta ipſi ſua ſcindunt. Et apud L. Senecam c. vlt. lib. I. de Ira. Appian. lib. V. Et in Mithrydatica.

Denique & in ſeipſi ſæuiunt irati. Itaque & *labra ſua ipſi mordent, & in columnas caput impingunt, & capillos ſuos euellunt, & femur, pectus percutiũt.* L. Seneca c. vlt. l. I. de Ira. Aliqui & vitam ſibi eripiunt ipſi, ira furenter

ſtimulati. Sed iucunda & ridicula Eurylochi philoſophi apud Diogen. Laërt. ira, qui coquo ſuo iratus, cum veru ipſo, carnibus ſemicoctis onuſto, in forum plenum perſecutus eſt, vt interficeret. Idq. eo magis ridiculum, quod philoſophus ille de familia Pyrrhonis, & ἀκαταληψίας & ἀδιαφορίας profeſſus.

Ast ima gelidvs qvi margine.

Imis gradibus fontes adiuncti aquæ prorſus refrigeratæ, qui ſignificationem habent ſtuporis ſiue lentitudinis, quod lenitati virium altera ex parte oppoſitum eſt.

Sva miles vt arma samiat.

Nam Academici, *iracundiam, fortitudinis quaſi cotem eſſe* dicebant, vt poſuit M. Cicero in Lucullo, atque idem lib. v. Tuſc. Quæſt. Peripatetici, inquit, *iracundiam cotem fortitudinis eſſe dicunt*, Quo loco Tullius etiam Ariſtotelis hanc & Peripateticorum ſententiam mutuatis à Zenone argumentis oppugnauit: ſed *ſubula*, vt aiunt, *leonem excipiens*. Quemadmodum etiam L. Seneca Stoicus in libris ſuis de ira, in Ariſtotelem quaſi fluctus in ſcopulum incurrit. Cum autem M. Cicero ait, *Iracundiam Peripateticis videri coticulam fortitudinis*, iracundiæ nomine pro ira quaſi abutitur. Sic enim dicere malo, quàm Ariſtotelis ſententiam ſtoicè interpretatur, aut deprauat. Integrior L. Seneca c. III. lib. III. de ira *Ariſtoteles*, inquit, *iram calcar ait eſſe virtutis*. Et Plutarchus in eo libro in quo diſputauit rationem eſſe in belluis, τῆς ἀνδρείας inquit, οἷον βαφή τις ὁ θυμός ἐστι καὶ στόμωμα. *Ira, virtutis tanquam ferri temperatio eſt, & robur ſiue nucleus.*

DIES QVINTVSDECIMVS,
DE COMITATE SIVE ADFABILITATE EIVSQVE EXTREMIS.

FRONTE gerens nitidum Veneris Tithonia ſidus
Lutea, ſpargebat roſeos ceruice capillos,
Cum placida egreſſi de MANSVETVDINIS aula,
Haud procul inde amplas excellere vidimus ædes.
Regina has Sapiens breuiter ſic pandere cœpit,
Porticus hæc, inquit, quadruplex, diſtincta columnis.
Marmore de omnimodo, viden' vt nitidiſsima ridet,
Atq. vocare vltrò venientes voce videtur?
Peruia quadruplici portarum hæc limine ſemper
Regia. Purpureus primo ſedet Aeacus ipſe
Ingreſſu: at circum huic acri ſchola verberat aures
Voce legatorum: & totum, ſua regna, per errans

Causidicina forum vaga, lites lite resoluit.
Opposita latus ad læuum stat limine portæ
Cum petaso, & loculis, damnum fugientis imago
Maiugenæ. Strepit hunc circum grex impiger, olim
Sicut apes populant verni quæ ruris honores,
Et sua collecto stipant aluearia melle.
Hic lucra magna inhiat magnarius, & vagus emtas
Institor exponit merces, propola tabernam
Explicat, inuitans rerum nouitate viantes,
Atq. breui anticipans hominum spes tempore, vendit
Spem pretio, hæc illi sua sunt mangonia mercis.
Hos interuolitant quasi vespæ, fenoris acri
Qui figunt stimulo quemquem tetigêre, nouisq.
Sic quasi peniculis fugit cum pictor, humoris Plautus Rud.
Quicquid inest, vncta exsugunt patrimonia, donec
Sanguis inest, & habent peragant quo pascere fenus.
Proxima sublimi stat culmine porticus, illam
Mars habet, horribili rutilat cui sidere vertex
Igneus, adsistunt celsa ceruice superbi
Marticolæ, & raucis feriunt clamoribus auras.
Centurio hircosus, miles, tiroq. proteruè
Lasciuus, Martisq. alij quibus impia crudi
Sacra placent, sanguisq. nouo de vulnere fusus.
Natio quantiuis pretij, cum finibus hostes
Defendit patriæ, REGEM LEGEMQ. tuetur:
Ast furiis eadem quoq. pernitialior ipsis
Excitus Erebi picea de sede sub auras,
Cum prædas agit, aut incendia tristia miscet
Finibus in patriæ, & ciuilia commouet arma.
E regione autem cunctis excelsior aula
Ad dextram patet. In primo stat limine portæ
Proteus innumeris speciem variare figuris
Sollers. Frendet aper, rugit leo, sibilat anguis,
Vrsus vti sæuit, gannit vulpecula, flammas
Induit, idem in aquas tenues dilabitur, idem
Nube caua tegitur: sic formas transit in omnes
Aulica, multiplicíq. oculos imitamine ludit
Vita. Putes bene velle tibi, furialiter odit:
Credas diuitijs quoq. picos vincere, montes
Qui fodiunt auri, quia Serum vellere textis,
Purpureisq. nitent togulis: sed sæpe sub illa

Irus veste latet, seu quis mendicior Iro.
Exteriùs læta est, premit altas pectore curas,
Callidaq́; exteriùs malis ridere alienis,
Sanguine cum interiùs fleat. Est hæc deniq. vita
Pergula pictorum, veri nihil omnia ficta.
Paßibus errantes hic vanis atria circant,
Et veniunt, abeunt, redeunt properanter inanes.
Scandere pars scalas, alij descendere contra
Pugnant, edensiq. ruunt, truduntur, & ipsi
Trudunt porrò alios: thalami pars plera moratur
Ante fores, regisq. sui, sua tempora cogit
Temporibus seruire, manens, dum limine tandem
Procedat thalami, læta vt comitetur euntem.
Aream vbi quadruplex incingit porticus, alta
Versicolórq. basis, muliebriter ore nitentem
Sustinet effigiem. Grauiterq. & comiter illa
Insimul, intrantes triplici de limine, cernit.
Est A D F A B I L I T A S *talis, placidißima Virtus,*
Sollicita miscens quasi læta coagula vitæ.
Adspice circum humeros ardet quæ murice lana,
Oscula vti totam spargunt, & apicula crebris
Pingit imaginibus: quia nunquam parcus amicis
Oscula diuidere est, lætum cui comica pectus
Instruit hæc Virtus. Idem sua dicta liquore
Omnia ceu mellis contingit: apicula dulces
Læta fauos solita labris quasi figeret arte.
Non tam sceptrigeros iterato murice reges
Lana decet, quàm quæ comes hilarißima virtus,
Communesq. facit, ne tanquam oracula tristi
Sacra supercilio fundant, interpretis ore,
Difficilesq. aditus, clausásq. rogatibus aures,
Laudibus adnumerent generoso principe dignis.
Has etiam cerne effigies, basis opprimit alta
Quas sibi subiectas. Vna est P A R A S I T I C A, *mures*
Tanquam opici, lingens alienum sæpe salillum,
Aiens quicquid ait rex à quo pascitur, idem
Si neget hoc, negitans, & nutu semper ab illo
Vertitur, vt vario claui moderamine cymba:
Altera M O R O S O S *facit, omnem murmure fuscans*
Lætitiam aduerso, cuiuis contendere semper*
Aspera, quódq. sibi placet, aut verum esse videtur,

* πρὸς πάντα ἀντιτείνουσα c. vi. lib. iv. ad Nicom.

Acriter elatrans, facilis neq. cedere cuiquam.
Sed ferrugineo vesper velamine Nocti
Prasternit iam serus iter, suadétq. silere,
Crastina dum extulerit reparatus lumina Titan.

FRONTE GERENS NITIDVM.

MANSVETVDINIS domicilio lustrato, vbi consuetudinis quotidianæ pestem iracundiam cohiberi diximus, nunc ad conuictus humani & societatis virtutes ipsas ventum est. Quarum prima est Comitas, in cuius regionem Regina cum Aristotele nunc proficiscitur.

Est autem Comitas virtus in congressionibus excellens, & quasi artificium quoddam ita inter homines versandi, ne congressio nostra & conuictus molestiæ sit vnquam, sed magnæ potius voluptati, in rebus quidem certe honestis. Nam placere aut delectare velle in turpib. non est comitatis verum assentationis. Propriè igitur hæc tanquam virtus quædam comica est, quam pereleganter in Pamphili adolescentuli persona, comicus Latinus in Andria Act.I.sc.I. depinxit. Eáq. virtus quanta sit, exemplo C. Marcij Coriolani apud Dionysium Halicarnass. lib. IIX. intueri licet, qui cum esset ceterarum virtutū laude cumulatissimus, & à natura ipsa fictus videretur ad honestatem, peruicacia sua tamen & morositate, laudes tantas inobscurauit pestémq. sibi ipse ac perniciem attulir. τὸ γὰρ, inquit, πρᾶον καὶ φαιδρὸν οὐκ ἐπῆν αὐτοῦ τοῖς ἤθεσιν, οὔτε τὸ θεραπευτικὸν τῶν πέλας, εἴτε ἀσπασμοῖς καὶ προσαγορεύσεσι. Atque huiusce Aristoteles virtutis nullum in lingua Græca nomen esse ait, c. VI. lib. IV. ad Nicom. latinè autem Adfabilitas nominari posse visa est plerísque: mihi Comitatis nomen pleniùs videtur. Nam facilitas propriè in factis, adfabilitas in dictis, huiusce autem virtutis laus consistit in dictis ea quidem, sed multò etiam magis in moribus & factis, vt omni genere obsequiorum. Itaque Aristoteles ipse ad Nicom. exorsus hanc virtutem declarare, in principio statim, & in ipso quasi limine significationem dedit eam spectari ἐν ταῖς ὁμιλίαις καὶ τῷ συζῆν, siue *in congressibus & conuictu*. Id autem exponit, καὶ λόγων καὶ πραγμάτων κοινωνεῖν, siue *dictorum factorúmque communionem & societatem*. Horum vtrumque intelligi licet in verbo comitatis, vt apud Q. Fratr. de petit. consul. *Nam comitas tibi non deest ea quæ bono ac suaui homine digna est: sed opus est magnopere blanditia*, &c. Sic enim legendus is locus. Distinguit nempe Quinctus *comitatem*, & *blanditiam*, vt illa sit virtus, hæc non item. Sed parua sui ac proprij vocabuli ignoratio est, dum res ipsa teneatur.

Talis igitur est virtus Comitas: extrema vero eius duo sunt. Hinc morositas quædam & peruicacia: inde adsentatio, eáque duplex, vna placere tantum expetens, altera & placere studens, & delectare spe lucri.



A. Regia Adfabilitatis siue Comitatis.
B. Effigies Adfabilitatis, cum caduceo Mercurij, & palla persperſa oſculis & apiculis.
C. Extrema duo, quæ pugnant virtuti Adfabilitatis, Adſentacio & Moroſitas.
D. Statua Æaci, ad eámq. caſtra litigatorum.
E. Statua Mercurij, ad eámq. mercatores.
F. Statua Martis, ad eámq. porticus militiæ armatæ.
G. Statua Protei verſatilis in omnes formas, ad eámq. porticus aulicorum.

cri. Qualem Cæcilius comicus poëta mulierculam depingit in Cratino,

Modò fit obsequens.

Hilaris, comis, communis, concordis, dum id quod petit potitur. Prius illud genus adsentationis Ἀρέσκεια dicitur: alterum κολακεία, vtrumque suis coloribus pinxit elegantissimè Theophrastus in Notis. Ἀρέσκεια Q. Fratri de petit. Consul. *Blanditia* est.

AMPLAS EXCELLERE VIDIMVS ÆDES.

Depinguntur tecta Comitatis, posita in eodem colle, in quo domicilium virtutis gaudentis mediocritate honorum. Comitatis autem tecta præclarè auctor ingenio suo exædificauit. Principio enim domicilium effinxit amplissimum, distinctum portis quatuor, in earúmque portarum qualibet amœnissimum deuersorium. Deinde porticus intra extráque domum ipsam peramplas. Ad primam autem portam statua est Æaci regis omnium olim iustissimi, eóque confluunt, qui res iudicant, patroni, iurisperiti, aliíque ætatem agentes in litibus. Altera porta Mercurij est, eáque in ædium parte, locus & regio est mercatorum. Lateris læui porta prior, effigiem habet Martis, quàm circumfluunt imperatores, duces, milites, atque id genus alij castris militiæque addicti homines. E regione aula est ornatissima, & porta cum statua Protei, ad quam picti aulici, quibus propter morum fortunæque varias cõmutationes, Proteus planissimè conuenire visus est. Sic igitur quatuor hæc genera vitæ in comitatis ædibus auctor disposuit, quoniam comitas & humanitas in horum vsu & conuictu cernitur maximè.

AREAM VBI QVADRVPLEX.

In media huiusce palatij area, simulacrum positum est Comitatis siue Adfabilitatis, cum læna, siue pallam mauis, apiculis persperſa, vt Comitatis delectatio, tanquam mellis dulcitudo quædam, & suauitas è floribus adflata esse videatur. Adspersa eadem osculis, siue oribus patuis. Pars nempe Comitatis aliqua, ius osculi.

HAS ETIAM CERNE EFFIGIES.

Postquam ad Comitatis effigiem peruentum est, pergit Aristoteles Reginam de repugnantibus Comitati extremis docere, Adsentatione ac Morositate. Cum autem ait, *recentatus Titan*, fabellam videtur tangere velle, Solem in mari exstingui cum occidit, postridiéque luce recepta oriri. De qua infra dicendi locus die XXIV.

DIES SEXTVSDECIMVS,

DE STVDIO VERI SIVE VT DICITVR VERACITATE, EIVSQVE EXTREMIS.

Mane recentatam Sapiens albescere lucem
Vt vidit, iam vallis ait descendere sedes
Tempus in aduersa. Viden' vt domus eminet ingens,
Splendida, & in cælum sublimi tecta minantur
Culmine? suppositis series vt longa columnis
Frontem sustineat? Magicæ sed sicut ab artis
Carmine, pro vario ventorum flamine, forma
Atq. alia atq. alia sese induit, & quasi nubis
Sole repercussæ, vana sub imagine fallit,
Hæc sedes mendacis heræ, cui pleraq. gaudet
Pars hominum seruire. Etenim laruata per omnes
Terrásq. tractúsq. maris, sua regna propagans
Incedit, variis mortalia fallere secla
Exemplis sapiens, verbis blanditur, amictu
Adlicit, aut oculos præstinguit mimica gestu,
Subdola sipario Veri, mendacia celans.
Rem simulans præfert, spe sed frustratur inani,
Ventorúmq. leui velut aura, pascit hiantes.
Vana superstitio comes huic, cultu sibi ficto
Callida multiplicare Deos. Secta quoq. multo
Vertice dissectæ, longo velut Excetra caudæ
Agmine repentes, erroribus omnia miscent.
Democritíque noui, multum ridere parati
Sacra Deúmq. ipsum, Dominæ comitantur eunti.
Sed propiore gradu quoq. nunc variabile vani
Quale sit hoc limen tecti videamus. Aperta est
Area, non vllis circumuestita columnis,
Porticibúsue nitens: raro sed vertice circum
Aëriæ cingunt vlmi, ceu vellere inani
Vestitæ nebulis, specie exteriore virentes,
Interius carie exesa, sua regna lacertis,
Crabronúmque lares genti, & cœnacula vespis.

Quincunces inter medios, mirabile dictu,
Quæ modo visa fuit, simplex in limine & una,
Desubitò gemina est: SIMVLATIO plurima vanis
Adrogat auspiciis sibi quæ non debita: & ultro
Extenuat bona quæ sua, DISSIMVLATIO, fingens
Esse minora illis, alius quæ possidet. Ipsa
Nunc vide sis, quali facie SIMVLATIO. Rugis
Obsita cum sit anus, tamen esse iuuencula gestit,
Personáque tegit rugas, celátq. capillos
Arte galericuli canos: iuuenaliter autem
Floridula corpus tunica velare vietum.
Nouit, & ingentem, sit quamuis paruula, sese
Ingenio facit, excelsis adiuta cothurnis.
Quinetiam fulcro sese sublimiter effert,
Quod congesta facit crebro vesica tumore.
Hac tali comitatus hera condignus, easdem
Adfluit in sedes, vlmorum margine saptas.
Non ita Parthorum stipare gregaliter olim
Turba satellitij regem solet, Angulus omnis
Feruet, agyrta illis, magus, augur, somnisolutor.
Quíq. oculos vanis spectantes ludere nouit
Callidè imaginibus, quo cæli interprete discunt
Res sibi venturas alij, cum sortis oberret
Nescius ipse suæ: nulláq. empiricus arte,
Improba cui variis euentibus alea ludit
In capita, & verbis non re dat sæpe salutem.
Sed nullus propiore gradu, quàm præditus arte
Omnia conflandi in nihilum chymista, cinislo
Impiger, atq. sua fornace perustior ipse,
Adsiduáq. niger faciem fuligine: squallent
Sorde manus fœda, quàm Tethys eluat vndis
Omnibus haud facilè: à fumo est olidissima vestis:
Igne rubent oculi, & flamarum verbere, lippi:
Pollicitis arcas alienas grandibus implet,
Ipsius haud vllo turgescit sacculus ære:
Semper egens, semperq. petens, & mutua sumens,
Quauis, quáque potest, certus nil reddere cuiquam,
Acrius aut si instare velis, legésq. minère,
Inficias volet ire, solum aut cito vertere perget,
Inq. alios vacuam portus agitare celocem:
Tunc quoq. Mercurij si auris male surda vocanti,

Fiet ad extremum magus, aut faber improbus, are
Nauiter incipiet fallaces cudere nummos.
Sed Phœbus media cœli regione, citatis
Fertur equis, turpiq. monet iam exſcendere valle
Collis in aduerſi cliuum, atq. ibi cetera porro
Viſere, dum radio ſua nobis lumina præfert.
Culmine ſublimi totum nitidiſsima latè
Occupat hunc ſedes, candore notabilis ipſo.
* dicata. *Dicta* * *ea Virtuti ſacra eſt, quam dicere* VERI
Fas DOMINAM. *Specta quanto venerabile circum*
Lumine ſit fuſum limen: paria omnia totis
Sedibus, atq. omnes nullo diſcrimine partes.
Quadrua porticibus circum, intra extráque renidet,
Phengitis niueo quaſi tralucentibus æquè
Marmore, conſimiliq. modo. Regione ſed ipſa
Impluuij media, celſo fundamine nitens
Effigies VERACIS HERAE, *velamine nullo,*
Totáq. pellucens cryſtallina: pectoris autem
Verſicolore micant de gemmis, intima, luce.
Cinctáq. pacifera frons termite candet oliua,
Suſpiciénſq. oculos adtollit in atria cæli,
Indice ſignificans ſublato ad ſidera dextra,
Ætheria ſemper ſe viuere culmine ſedis
* valde ſpretam. *Atq. coli, terris* * *deſpretam ſæpe iacere,*
Nullóque in pretio vel paruo viuere, paucis
De ſtudio Veri feruente caleſcere pectus.
Magnanimi circùm, quos ſæcula priſca tulêre
Stant ſerie longa heroës, vatúmque ſupremi
Numinis adflatu ſapiens chorus, omina vera
Fatidico fudit qui pectore, quíq. ſacrorum
Ritibus in veris curas poſuêre tuendis,
Quóſq. ſuo dignos Sapientia nomine fecit.
Hæc ita dum Sapiens viuo quaſi flumine inundans
Defluit, inclinare dies iam cœperat, vmbræ
Longiùs à tecti labentes culmine viſæ,
Ergo ait, egrediens læuo de limine Veri,
Nunc properemus & hanc, quæ DISSIMVLATIO *fertur,*
Ante fores poſitam, paulliſper viſere. Limen
Hæc propior meritò Veri contingit honeſtum,
Quàm ſoror ipſius SIMVLATIO. *Quippe nec hilum,*
Aut nocet, aut odio eſt, limans ſua commoda verbis

Et tenuans vltrò, præ quàm non debita quisquis
Adrogat ipse sibi, & multa cum laude coronam
Herentem alterius capiti, decerpere gaudet,
Dereptámq. suo vecors innectere. Ponè
Socratis effigies sequitur, simulatio cuius,
Dulciloqui scriptis superest animata Platonis.
At basis hoc retinet breue scriptum in marmore carmen
Nesciui omnia: sed me nescire omnia, sciui.
Paruula sed simulacra latent in margine cliui,
His, soliti laudes qui dissimulare pusillas,
Sic quasi præsignes, auræ popularis amore.
Dicere plura etiam Sapiens voluisset, obortus
Hesperus inuidit, biiugos immittere Noctis
*Certans, inuitíq. reclusit * limen Olympi.*

* *Reclusit* pro clausit vt Inst. §. Quod iterũ. De legit. agn. success. Glossæ ἀποκλείω, *Recludo*. Et L. Florus fine li. IV.

MANE RECENTATAM.

SEQVITVR altera conuictus humani & congressionum virtus, cui ne ipsi quidem suum nomẽ & proprium Aristoteles imposuit, sed huiusce virtutis laude florentes vocauit ἀληθευτικούς, quasi simplices apertos, re ipsa & veritate, non specie aliqua simulationis aut dissimulationis gaudentes. Itaque cõuenientissimum huic generi virtutis fortasse nomen fuerit. *Sinceritas*. *Veritatem* scholæ vocant, sed nomine ambiguo, vt indicio est ipse Aristoteles c. VII. lib. IV. Quanquam etiam ipse *Veritatem* vocat Magnis moral. c. XXIII. lib. I.

Sed alia veritas logica est, alia Physica, alia Theologica, alia porrò Ethica, Eáque duplex. Vna in negotiis & stipulationibus, siue rebus contrahendis, eáque ad Iustitiam refertur: altera veritas vitæ & morum, quæ nihil fingit, nihil sibi adrogat, sed simplex apertáque est, nullius rei simulatrix aut dissimulatrix malitiosè.

Dixi, *malitiosè*. Nec enim verax definit esse, qui sine fraude cuiusquam simulat aut dissimulat. Itaq. cum Ser. Sulpicius, & C. Aquilius Gallus, & Sex. Pedius, definissent, *dolum malũ esse, cũ aliud agitur, aliud simulatur*. Antistius Labeo, & premens eius vestigia Vlpianus reprehendêre, quia *possit & sine dolo aliud agi, aliud simulari*. Verè hoc quidem illi, simulationem posse doli expertem esse, neque tamen ruit Seruij definitio. Intelligi enim vult, cum fraudulosè aliud agitur, aliud simulatur. Patet, quia Seruius idem prædixerat *dolum esse machinationem alterius decipiendi causa*. Neque dixerat, simpliciter, *dolum*, sed *dolum malum*. Ponit autem Vlpianus exemplum, aliud agendi, aliud simulandi, *sicuti*, inquiens, *faciunt qui per eiusmodi dissimulationem deseruiant & tuentur, vel sua vel aliena*, &c. Nullo idoneo sensu ea lectio est, & scripsit forte Vlpianus, *qui per eius-*

 modi



A. Domicilium Arrogantiæ & Mendacij.
B. Effigies Mendacij.
C. Arrogantia.
D. Chymistæ, Spagiritæ, circulatores, diuinaculi, mathematici.



A. Veritatis Regia.
B. Effigies Veritatis.

modi dißimulationem deserunt, vt tueantur vel sua vel aliena, &c. *Sua*, videlicet vt in fiduciæ cõtractu: *aliena*, vt si patronus in iudicio liberti destituar eum, vt aduersario eius opponat alium pro se potentiorem. Pro liberto id non iniquum. Sed litem ad potentiores transferre vetitum C. Ne liceat potentioribus &c. vt de rei translatione, est D. de al. iud. mut. cau.

Virtutem quidem qua de nunc agitur, non malè *Simplicitatem* quoque nomines. Nam etiam philosopho ipsi c.vii. lib. iii. ad Eudem. eodem significatu est, ὁ ἀληθὴς καὶ ἁπλοῦς καὶ αὐθέκαστος. Idest, *Verus* & *simplex*, & *ipse siue suus quáq. in re.* Peccant qui αὐθέκαστον interpretati eum, *qui singulis in rebus sui iuris atq. arbitrij sit*, vt Dionys. Lambin. Neque enim de iure hic & potestate, sed de statu eodem, siue vt scholasticè dixeris, *identitate* agitur. Siue αὐθέκαστος, qui in re qualibet suus & simplex, atque vt ex Isidori Pelusiotæ epist. cxxxi. lib. ii. dixeris ὁ μετὰ συνέσεως ἁπλοῦς. id-est, *qui simplex intelligenter.* Est enim duplex simplicitas, vna prudẽs & iusta: altera demens & iniusta, vt distinguitur apud Suidam in ἁπλότης.

Oppugnatur autem hæc virtus ab extremis, hinc *Arrogantia* & *Simulatione*: inde à *dißimulatione.* Vtráque semper implicata mendacio est. Itaque commentus auctor est ingeniosissimè, vnam videri huiusce aulæ dominam à principio, & in ipso quasi limine ac vestibulo: sed mox geminam adparere. Quippe & arrogans & dissimulator siue εἴρων, vtérq. mendax est, diciq. potest, veritatem vtrinq. oppugnari à mendacio, sed differenter. Quippe inde à mendacio in excessu siue arrogantia: hinc à mẽdacio in defectu siue Dissimulatione. Argumẽto est ipse Aristoteles. Nam vtrósq. videlicet tum arrogãtes tum dissimulatores vocauit ψευδομένους siue mẽtiẽtes c.vii. lib. iii. ad Nic. c.vii. lib. iii. ad Eud. Sic & Iustitia cui hæc virtus cognata est, vtrinq. oppugnatur ab iniustitia. Vtq. huiusce virtutis, sic & Iustitiæ extrema, quasi genere aliquo conueniunt, specie differunt, vt tempus dicendi erit die proximo sequente. Hanc virtutis vtriusque adfinitatem, Aristoteles quoq. ipse tangit ad Nicom. loco eodem, vbi de hac virtute extremísque eius agens, ait ὅσα εἰς ἀδικίαν ἢ ἀδικίας συντείνει. id est, *Quatenus ad iniustitiam tendunt aut iustitiam*, &c. Quem locum malè omnis legio interpretum accepit. Omnes enim *de rebus quæ ad iniustitiam aut iustitiam pertinent*, interpretati, longè abierunt à mente philosophi.

Alia quoque ratione mendacium quasi genus est, siue mentientium genera duo. Aliqui enim ipsius mendacij causa mentiuntur, siue non alia fini mentiuntur, quàm vt mentiantur, exq. ipso mendacio capiunt voluptatem, de quo genere totus Luciani liber est *Philopseudes*: alij sunt qui mentiuntur sed proposito fine aliquo lucri aut honoris. Vtrumque genus exsertim Lucianus principio illius libri distinguit, & anterior illo philosophus noster loco anted. vbi ait, mendaces alios ipso mendacio gaudere: alios ex eo lucrum quærere aut honorem.

PLVRIMA

PLVRIMA VANIS ADROGAT AVSPICIIS SIBI.

Adrogantes ſimulatione quadam, & inani oſtentatione, fictóque non ſolùm ſermone, ſed etiam vultu ſe venditant: diſſimulatores contra, quos Græci *εἴρωνας* vocant, ſua ipſi bona ſcientes obtegunt, aut verbis extenuant & abiiciunt.

Sed Oſtentationis & Adrogantiæ, genus triplex eſt. Aut enim animi cauſa, & propenſione ſola mentiendi, mouentur ad oſtentationem, vt fatui ac nugones: aut cupiditate honoris, & animi elatione, vt milites glorioſi in comœdiis, & qualis apud auctorem ad Herennium lib. IV. ille *non diues, ſed glorioſus oſtentator pecuniæ*. Quales etiam Theophraſtus penicillo ſuo pingit in Notis ſiue notationibus c. vlt. aut lucri cauſa oſtentant ſe & gloriantur, vt circulatores, chymiſtæ non Stagiritæ ſed ſpagiritæ, horúmque collegæ Chaldæi, mathematici, planetarij, genethliaci, *ὡς ἀγαθὸν ἐς ἐπωνυμίας πολλὰς ἔχειν*, inquit Ariſtophanes, *Habere multa nomina, eſt perutile*. Manipulares quoq. horum & participes, incantores, magi, qui *haruſpicum fratres*, Arnobij lib. IV. Et pharmacopolæ circumforanei, diuini ſiue diuinaculi, coniectores ſiue *ſomniſolutores*, præſtigiatores cum acetabulis & calculis, alij ſexcenti *λεπτολογάτων λήρων ἱερῆς*, *nugarum ſubtiliſſimarum antiſtites*, omnes ad Fabulinum Deum ablegandi.

SED PROPIORE GRADV.

Domus Adrogantiæ ſiue Oſtentationis hic pingitur, talis quidem, vt eminus, primóque adſpectu, magnificentiſſimè ſubſtructa eſſe videatur, cum reipſa & veritate, non ſubſtructio illa ſit, ſed vlmi arbores, in quincunces quadrato circum ambitu directæ, & velatæ nebula ſpeciem habente ac ſimilitudinem ædium, perinde vt in nubibus, radiorum inflexione, aliæ atque aliæ rerum imagines procreantur. Vlmi quidem illæ de ſurculis ſatæ videntur vlmi Virgilianæ, VI. Æneide, *opacæ*,

------ ingentis, quam ſedem Somnia vulgò
Vana tenere ferunt, foliíſque ſub omnibus herent.

Pro *adrogantia* autem quoque aliqui, vt Camerarius *gloriationem* dixête. Sed intereſt: Adrogans aliis etiã ſua detrahit: glorius ſua intemperanter exaggerat. Verum vtráque plerúmque res inter ſe nexa iunctáque eſt.

QVINCVNCES INTER MEDIOS.

Ingreſſi illud inaniſſimum *Adrogantiæ* domicilium, vident exaggeratum veſiculis quaſi tribunal, in eóque ſtare cum cothurnis altiſſimis *Adrogantiam*, ramo innixam arboris * coluteæ, iuxtáque adſiſtere geminam eius germanam Simulationem ſiue Ironiam. Vtriuſque tam eleganter & concinnè expreſſa Poëtæ verſibus imago eſt, vt inluminare præterea quicquam velle, ſit *lucernam in ſole adhibere*, aut *teruncium addere Cræſi pecuniæ*. * Baguenaudier.

SED IAM SOL MEDIA.

Tempus inquit, iam esse Aristoteles de caliginosa Simulationis valle, in collem vicinum proficiscendi, in quo Sinceritatis siue ita est dicendum, *Veracitatis* domicilium est, quod quasi Poeticè ἀναχρονίζων, ex lapide phengite struxit, de quo C. Plinius c. XXII. lib. XXXVI. Et ait intus & foris eadem specie figuráque esse: quippe vt hominibus veris ac sinceris conueniens habitatio sit, quorum vt dicitur, *apertum pectus* videre licet, neque *Momo* necesse est, in eis fenestellam aut lumen desiderate.

NVNC PROPEREMVS ET HANC.

Depicta Veritate siue Sinceritate, eiusque vno extremo Arrogantia: sequitur nunc alterum eius extremum siue altera quasi inimica, Dissimulatio: quæ non tam acriter Sinceritatem oppugnat quam Ostentatio. Itaque ne effigies quidem eius longè ab ædibus Sinceritatis in vallem abstrusa est, sed in ipso conspectu posita, inque ipso quasi frontispicio vestibuli Sinceritatis.

Duplicem vero dissimulationem esse docet, vnam eorum qui de rebus suis præclarissimis maximéque expetendis fictè simulatéque diffitentur. Qualis sapiens ille olim Socrates, qui tametsi vt vetus poëta loquitur, *pectus egregiè sapientia munitum gereret*, tamen hoc in omni sermone profitebatur: *vnum tantum scire se, nihil se scire.* Alteram dissimulationem eorum esse, qui leuia quædam habent & inania, eáque ipsa tamen quasi magna quædam præclaráque dissimulant: vt si quis fingeret amiculum purpureum sibi, aut calceolos Sicyonios non esse. Huc facit charactet siue Notatio Theophrasti II. de Ironia, quam male interpretati *Cauillationem*. Quo dissimulationis genere vsi olim Lacedæmonij. Eáq. dissimulatio siue ironia, arrogantiæ & ostentationi est adfinis, vt illo ipso Lacedæmoniorũ exemplo intelligi licet. Quos cum Diogenes male vestitos in Olympiis vidisset, hoc ipsum esse dixit ostentationis, & gloriæ, vt narrauit Ælianus in variis c. XXXIX. lib. IX. Non sat commodè autem pictor, & dissimulationis imaginem prætermisit aut parum expressit, & Mendacij Arrogantiæq; imagines discreuit.

DIES SEPTIMVSDECIMVS,

DE VRBANITATE EIVSQVE EXTREMIS, ITEM DE VERECVNDIA.

CYNTHIA flamifero decesserat aurea fratri,
Cum iuga vicini successit in herbida collis
Dux Sapiens, sedes vbi latè struxit amœnas
VRBANOS TRIBVENS MORES, hilarißima VIRTVS.
Singula tum Sapiens sic orsus pandere. Campi
Cernite planitie vt viridaria quadrua rident.
Porticus illa virens circùm patet: arbore Phœbi
Et Veneris tonsa trichilæ florenter opacant,
Quattuor à portis deuortia læta viarum.
Fons media leni scatet in regione susurro,
Perspicuis nitido viuens in marmore lymphis.
In medio effigies Dominæ, florentia latè
Prospiciens sua regna videt. De marmore leui
Structa basis, leges, hilaris moderamina vitæ,
Continet inscriptas. Procul hinc procul oris acerbi
Morsus, & inuidiæ, linguæq; vrtica proteruæ.
Nupta procul verba, & Veneris vocabula sunto.
Triste supercilium, caperata & fimbria frontis
Exesto: neq. in hac illi mea regna liceto
Ire, suas quiqui curas ludóq. iocóq.
Ducere cessatum, durus malè patruus, odit,
Scabritiémq. animo refugit delere, proteruis
Et dare venti auris crucias, ludibria, curas.
Non procul à Domina, sinuati tubere gibbi
Ridiculáque sedet specie, lepidißimus idem, &
Innocua salis in quosuis adspergine dicax
Æsopus, circúmque suis præcordia doctus
Ludere fabellis, & vertere seria ludo.
Adsidet huic bello bellè, qui cognitus aulis
Hospes Aristipus regum, Cynicámq. perosus
Spurcitiem, & metuens scabiem mordere canini
Farris, in exemplum fuit, vti suauiter aula,

Et ſapere aduerſis pugnantia frontibus eſſe
Qui ſtatuunt, homines ludi de puluere & vmbra,
Deſipere, vt medico ſi quis cum viſitat ægri
Limen, obeſſe putet. Sapiens ciuilibus vndis
Se merſare poteſt, neque mergi: carpere fructus
Aulæ, nec minus interea, mentis bene ſanæ
Viuere, & vltrò alios rectæ inter præmia vitæ
Ducere, ſecretos ab inertis tramite vulgi.
Putida SCVRRARVM *gurguſtia, vallis opaco*
*Inlatebrata ſinu, * ſcauam lutulenta mephitin*
Exhalant. Nec ego inluuiem Regina præire
Digner in hanc: tibi nec fuerit comitare decorum.

* Male apud Maronem eſt *ſcauam.*

Ac neq. vicino, quam vepribus obſita vallis
Limine habet, fera RVSTICITAS *hircoſáq: noſtros*
Digna morari oculos. Tetricis inhumana clientes
Moribus illa ſuos fingat ſine, lumine nunquam
Quos CHARITES *placido adſpiciunt, & amabile numen*
Ad ſua tam rigidos, hilariſsima ſacra venire
Non vnquam RISVS *ſinit, aut exporgere frontem.*
Sed venit Oetæos prætendens Noctifer ignes:
Adproperemus & has paulliſper viſere ſedes,
Quas PVDOR *impoſitas medio tenet aggere cliui,*
Coctilibus ſtructas muris, & ſuaue-rubentes.
Ipſe quoque os iuuenale, ſuo quaſi murice tinctus
Stat Pudor, vt ſolitus iuuenum ſuffundere ſæpe
Ora verecundus, latum, color, indolis omen.
Sed citò tranſcurſim primóq. à limine ſedes
Sit ſatis has vidiſſe: nec eſt bene congruus annis
Iſte color noſtris: neq. cum maturuit ætas,
Vlla, pudor, laus eſt, ſed nil feciſſe pudendum.
Sic fatus Senior, tacuit. Nam Veſper Olympum
Clauſerat, & crebræ circare rubentia viſa
Culmina nycterides, celeres implumibus alis.

CYNTHIA FLAMIFERO.

QVOD Leontinus Gorgias olim dixit apud Ariſtotelem lib. III. Rhetoricor. rhetori faciendum eſſe, *vt rebus aduerſariorum ſeriis riſum, eorúmque ridiculis ſeria quædam opponat*: hoc per omnem vitam ſapienti ſeruandum eſt, vt cum grauibus ſeriíſque rebus ſatisfecerit, det ſe iucunditati pauliſper, animúmque relaxet, qui cum ludo & ioco li-



A. Domicilium Vrbanitatis.
B. Imago Vrbanitatis.

berali exhilaratus fuerit, ad grauiora deinde maioraq́; ſtudia reuocetur. Quare nunc ludi atque ioci mediocritatem adiungit Ariſtoteles, ſiue reficiendi animi virtutem, cui nomen ipſe indidit ἐπιδεξιότητος ſiue ita loquendum eſt, *Dexteritatis*, ſed eandem appellemus licet Ευτραπελίαν ſiue *Vrbanitatem*.

Hæc autem virtus duas inimicas habet, vna ex parte Scurrilitatem, ex altera Ruſticitatem.

Decimus igitur ſeptimus iam hic in veri ciuitate agitur dies, Vrbanitati *dictus ſacer*. Cuius tam vrbana atque omni venuſtate circumfluens depicta hic tabella eſt, vt illud humanitatis, ſalis, ſuauitatis, leporis, ſpecimen, ipſa videri poſſit finxiſſe vrbanitas.

Principio enim domicilium vrbanitatis expreſſum eſt ſpecie figuráque horti amœniſſimi, in cuius extimis partibus ſint ambulationes fornicatæ, ſiue *trichilæ* potiùs, ſiue tabulata, ſiue pergulæ, aut vt Iul. Firmicus dixerit, *virides porticus in circulum, flexis vitibus*, &c. In medio fons aquæ puriſſimæ, ſiue in poëtica materie loqui licet poëticè,

nitidis argenteus vndis.

ad quem octo viæ, myrto, lauru, hedera & id genus ſtirpibus atq. herbis ſemper virentibus veſtitæ, perſimiles illis quas Florentiæ intueri licet in horto magni ducis Hetruriæ. Fons autem ipſe vmbraculo contectus, impoſito ſex columellis, inque medio ipſo, & quaſi vmbilico fontis, impoſita effigies Vrbanitatis, ad octo illas de quibus commemoratum eſt ſemitas, intuentis, Pluribus autem horti locis.

Diſcubuêre, tenentq.
Pocula belli homines, & inumbrant ora coronis.

De marmore levi.

Ad ſtatuam Vrbanitatis Ariſtoteles appropinquans, leges in baſi ipſa fontis inciſas Reginæ pellegit, ex quibus planum fit, quæ ſint partes hominis Vrbani ac fluentis, vt Plautus loquitur, *facetiis*. Cui deinde opponit hinc, ſcurrilibus iocis velitātes ac mimicis: inde vaſtos & agreſtes, qui *gratiis nunquam litarunt*, vt olim Xenocrates.

Non procul a domina.

Vrbanitatis exempla quædam adponit, vt Æſopum corporis quidem diſtortiſſimi, ſed ingenij perurbani atque omni feſtiuitate affluentis hominem. Qualis à Plutarcho inducitur in conuiuio ſapientium. Deinde Ariſtippum adiungit, in ipſo Vrbanitatis quaſi gremio educatum olim. Itaque inuidens ei hanc laudem canicula plebeia ſiue *canalicola* veriùs, Diogenes, *obſtringilandi* gratia, *canem*, illum appellare ſolitus, *regium*.

Pvtida scvrrarvm gvrgvstia.

Artificioſa præteritione attingit vallem Scurrilitatis & Ruſticitatis. Nam ita eas deformē adſpectum habere, inquit, & turpem, vt ſannoni

alicui & ſcurræ vel foſſori & caprimulgo, conuenientior earum luſtratio ſit, quàm philoſopho aut Reginæ.

SED VENIT OETÆVM.

In ædium vrbanitatis inſpectione necdũ die omni conſumto, quod reliquũ diei eſt, inquit Ariſtoteles ſufficere ad Verecundiæ ſiue pudoris tecta perluſtranda, poſita in cliuo, quo in oppoſitas vrbanitati valles deſcenditur. Neque enim Verecundiæ domum par fuit in regione ipſa virtutum ædificari, cum ſit non virtus, ſed affectio, quam ad virtutis indolem natura ipſa quaſi notam adpoſuit, vt docet L. Seneca epiſt. xi.

Hoc autem ita fiet planius. Aut ante rem, aut cum re, aut poſt rem verecundari homines ſoliti. Nam & antè flagitium, cogitatione ipſa, & ſuſcipientes facinus, aut facinore iam ſuſcepto erubeſcunt, cum ſpecies quædam turpitudinis animum pepulit. Eſt enim pudor ἀδοξίας φαντασία vt Ariſtoteles definit c. vi. lib. ii. Rhetoricor. aut M. Cicero epiſt. iv. lib. ix. ad Attic. Αἰσχροῦ φαντασία. Horum autem nihil cadere & cõuenire poteſt in perſonam viri honeſti & grauis. Neque enim ille in turpi cogitatione vnquam verſabitur, multóque minus flagitij aliquid faciet.

Præclarè igitur hoc ita nunc inuentum atque excogitatum eſt, vt Ariſtoteles verecundiæ tectis, Reginæ procul demonſtratis, artificioſa quadam præteritione dicat, nihil attinere ingredi. Neque enim laudi eſſe hominibus ætatis maturæ, ſi verecundari & erubeſcere nouerint, ſed potius ſi curent nihil in ſe admittere, quod pudendum aut rubore dignum ſit. Sapientérque L. Craſſus apud Ciceronem. *Non enim pudendo, inquit, ſed non faciendo id quod non decet, impudentiæ nomen effugere debemus.*

Tamen quia non frequentiſſimi ſunt ita integri, ſancti, innocentes viri, vt ab omni etiam cogitatione flagitij aut ſceleris alieni ſint, etiam ij qui ætate matura ſunt, à pudoris aliqua ſignificatione laudari ſolent, vt L. Craſſus apud M. Ciceronem, & L. Murena in ipſius defenſione. De Cn. Pompeio item, & Fabiano L. Seneca narrauit epiſt. xi. *Nihil*, inquit, *erat mollius ore Pompeij, nunquam non coram pluribus erubuit, vtique & in concionibus. Fabianum cum in ſenatu teſtis eſſet adductus, erubuiſſe memini, & hic mirè illum pudor decuit*, &c. Neque ab alia mente illud Homericum, Iliade xv.

> Αἰδομένων δ᾽ ἀνδρῶν πλέονες σόοι.
> *Sæpius incolumes ſunt qui erubuêre.*

Præterea ruborem aut noſtræ turpitudinis phantaſia ſiue ſpecies gignit, aut alienæ. De priori intelligendus Ariſtoteles. Poſterius autem hoc pudoris genus laudi eſt. Nam verborum obſcœnitate aut turpitudine rerum aliena erubeſcere, ne grandi quidem ætate hominibus indecorum eſt: vt illi apud Lampridium ſenes erubeſcunt, obſcœnè interrogati à tyranno Auito ſiue Gabalo: in quos & tyranni iocus ille mimicus, *Erubuit ſalua res eſt*. Huiuſmodi ergo pudor etſi virtus non eſt, laudatur tamen, & medius eſt inter extrema, nimium ſcilicet pudorem ſiue

adfectum ad omnia verecundantis & quasi obstupescentis, & impudẽtiam. Huiusmodi quoq. res laudabilis est, Indignatio, media nempe adfectio inter Inuidentiam & Maleuolentiam c. vii. lib. ii. ad Nicom. Huiusmodi quoque Misericordia, & id genus alij adfectus, qui non ipsi laudantur, sed modus eorum. Concinnè itaque Poeta finxit, vespertiliones circum *Pudoris* tecta visas, vt enim vespertilio, neque musculus propriè neque auis est: sic *Pudor* nec virtus propriè nec vitium. Sic Varro Terentius in Agathone lusit, *Factus sum vespertilio*, &c.

DIES DVODEVICESIMVS,

DE IVSTITIA PVBLICA SIVE LEGITIMA EIVSQVE EXTREMO INIVSTITIA.

ORTA PVDORICOLOR simul ac Tithonia, cliuò
Descendit Senior, tectóq. rubente PVDORIS
Egressus, procul ostendit rutilantia collis
Sidereo circum iuga lumine, quam sibi legit
Sedem IVSTITIAE VIRTVS: dehinc farier orsus
Est Sapiens, atq. his animos accendere dictis.
Omnia cum lustret, terras, mare, sidera, cælum,
Nil Hyperionides se pulchrius adspicit vno:
Cumq. obit, & circo fessos agitare diurno
Destitit alipedes, & versicoloria terræ
Pallia NOX remouens, cælum velamine pullo
Implicat, anne aliquid, NOCTIS deformius ipsa
Esse potest cæca caligine? Sic & Honesti
In regione, nihil speciosius enitet vna
IVSTITIAE VIRTVTE, nihil distortius atris
Vallibus in vitij, quàm iusti migrat & æqui
Quæ fines, varians bifido discrimine LABES
Tetra INIVSTITIAE: de qua nunc dicere primùm
Ordiar, est vulgo quia trita & cognita inerti,
Notior vt sua sit nulli domus: at pia rerum
Arbitra IVSTITIA est oras celebrata per omnes
Illa quidem & gentes, claro sed nomine tantum.
Notior est non quisq. suo sibi nomine, cunctis

Nomine

Nomine IVSTITIAE *est quàm cognita, semper in vdo*
Illud, & extremo sæpimine tinnit in oris.
Hoc pueri recinunt parui, iuuenésq. senésque,
Hoc ita perspersus sermo sale, suauior omnes
Influit, auriculas: sed res incognita MVLTIS
Ipsa, placens PAVCIS *quos Iupiter æquus amauit,*
PLVRIBVS *est odio quasi formula Stoica, vitæ*
Infuscans faciem, quia circumscribere iniquè,
Fallere, miluinos extendere qualibet vngues,
Innocuo temerare manus impune cruore,
Cingere se alterius raptis de fronte corollis,
Dilapidare suam, atque alienæ incumbere famæ,
Debita virtutis LAVDI, *dare præmia* FRAVDI,
Figere lucripetas pretio atq. refigere leges,
Imperiosa vetet: tanta caligine mentes
VIS INIVSTITIAE *valet occæcare, nec illam*
In speciem patitur defigere lumina, VIRTVS
IVSTITIAE *rebus quæ prænitet aurea cunctis,*
Quæ neque Luciferi, cælo nitidissimus alto,
Ignis amabilior splendet, licet æquore lautus
Eoo: neque Vesper, amans præcurrere stellis
Omnibus, & dubiæ dirimens confinia lucis.
Hæc nobis facies vicino vertice collis
Inspicienda venit, tanto perfusa decore:
Ante sed hanc opus in subiecta visere valle
Sedem, INIVSTITIAE *turpissima regna profanæ.*
Adspice stant picea circum caligine, tecti
Horrida tam laceri fastigia, dedecus ingens
Omnibus in terris, inimicáque mœnia cælo.
Excubat ante fores, pauidis exercita curis,
Acris AVARITIA, *& macro larualiter ore.*
Adsidet AMBITIO, *& sibi propudiosa veneno*
Muricis infecit fulgenti pallulam, & alto
Vertice fert oculos circùm, sufflata, superbos.
Parte aliâ sedet vncta, & florida versicolore
Palliolo, & variè sertis incincta corollis,
Atque vlnis BROMIVM *hinc,* PAPHIAM *inde amplectitur, illa*
Quæ vino & Veneri malè perdita temperat, vnde
Dicta INTEMPERIES. *Furiarum hæc triga nefandæ*
Regno Iniustitiæ fidissima conciliatrix,
*Hoc lacerum populo pandit ceu * ianea tectum.* *Ianitrix.

Horreat vt tecto viden' interiore triquetra
Pyramis? Hanc sibi cum Furiarum maxima vellet
Ponere, in hospitiis alienis ante ruinas
Ingentes dedit, exq. illis sibi tecta locauit
Talia maceriis, raptisque aliunde tropæis
Instruxit rutubam, furtiuos induit olim vt
Garrula plumarum, ignaua ratione, colores,
Et placuit sibi, sed neque longo tempore, cornix.
Tyrannis. *Dira* TYRANNORVM, *primum latus occupat huius*
Natio, Pyramidis: PAVCIQ. MALIQ. *secunda*
Oligarchia. *Parte sedent* PROCERES, *iunctis malè perdere votis*
Ochlocratia. *Rem populi, vigiles:* VESANAE *tertia* PLEBIS
Infelix regio, miscentis sacra profanis.
* Rapidus ἁρπακτικός Gl. *Omnibus his mens cruda, manus rapidissima, * ventus*
Omnia ceu Boreas conuerrere callida, & ipsas
Vincere aues properans Stymphalidas, vngue tagaci.
Ipsa sedens summa celsa regione Celæno.
Impia Pyramidis, leges concerpit auitas
Nauiter, & rapidis spargit ludibria ventis,
Hæc INIVSTITIAE *latè dominantis imago est.*
Sed nimis hæc mora longa mihi est in valle profana:
Iam properat mî animus vicini lucida collis
In iuga, de bene quæsitis vbi struxit ad auras
Tecta sibi omnimodo splendentia marmore, VIRTVS
Inclyta IVSTITIAE, *& vario distincta nitore.*
Porticibus latè circundata quattuor, intus
Area, portarum totidem quoque limina, Semper
Illa patent cuiuis. Non hinc excluditur vllo
Tempore, seu veniat ciuis tutamine legum,
Seu peregrinus egens: aditum quoq. pauper in illa,
Æquè ac diues habet: nullo discrimine iuris
Inualidi veniunt & magnis viribus acres.
Nunc etiam vide sis, vt ahenis porticus illa
Nititur, & cælo surgit quadrina columnis.
Iussa licet legere hic cuiuis sanctissima legum,
Principis imperio, sanctiue incisa senatus,
Aut populi, serie triplici distincta, sacrarum
Et populi rerum, & priua discrimine sortis.
Stat media tecti regione triquetra, & in auras
Pyramis excellit, domina sanctissima sedes
Iustitiæ. Hoc sanctè venerabile limen, vt aram

Poplite summisso par est, cultúque piare.
Hinc etenim populis vita est, regnísq. beata,
Omnimodis cumulata bonis, expérsq. malorum.
Maximáq. hæc merito virtus cluet: vnica nempe
Est aliis semper bona, quàm sibi, commoda curat
Publica præ quam priua: sua & trans tempora mittit
Temporibus populi, leges peccare vetantes
Dum statuit, ciuésque regens, Chironia morum
Vlcera, quæ serpunt populosas tetra per vrbes
Sanat, & à vitio pœnis absterret, honesto
Præmia constituit, fontes elidit, vt acre
Cultor agri lolium filicémue, & mactat honore
Promeritos benè, ceu flores fouet aura Fauoni.
Pyramidis residens ASTRAEA *cacumine* VIRGO
Defixis oculis cæli in versatile templum,
Sidereóq. micans stellantis tegmine pallæ,
Ciuibus impertit pacem, latissima tecta
Vrbibus, & pleno fruges quasi Copia cornu
Fundit agris, populis amplissima regna frequentat.
Inferiùs, lateris longo primi ordine, fulgent
Purpurei gradibus reges: seriéq. secundi
Nobilitas, moderans rerum sapienter habenas:
Postrema triquetri positus regione Senatus,
Quem populi legère suo suffragia iussu,
Temporis imperio parui qui reddere iura,
Inq. vicem positis, alieno, sciret habenis,
Parere imperio, & iuri ciuiliter æquo.
Pyramis, & quadruplex ea circum porticus, atrum
Subter habet specus, & cæci loca senta recessus.
Carceris hæc domus, & mala mansio. Tetricus illic
Arte reos iudex audit, subigítq. fateri
Ore dolos timido, & commissa piacula: raptam
Sæuiter insonti multo cum sanguine VITAM:
Aut BONA, *quæ miseris mortalibus altera vita:*
Siue trucis multo confectam vulnere linguæ
Demisere neci FAMAM, *quæ tertia vita est.*
Spurcidicis Criticus scriptis hanc lædere, laudi
Grex sibi ducit iners. VITAS *interprete credunt*
Inlustrare stilo, VITAS *loliginis atra*
Nequiter infuscant alienas, sanguine, * VITAE — * Plinius c. xxix. lib. 12.
Nescia turba suæ, neque cernens mantica tergo

Gibbere quid celet, contemtis impia sacris,
Mortiferóq. atrox iraq, odiíq. veneno:
Et misera vter vti multo spiramine turgens
Gloriola: non vt ventis in vota paratis,
Muneris Æolij, tumuit quondam vter Vlyxi.
Sunt alia & maiora, sed hac me vesper in oras
Edere nunc lucis prohibet, neq. sacra mouere
Sacrilega ista sinit. Venient labentibus annis
Tempora, cum velis portum mea cymba citatis
Ibit in hunc, lacerans inimici vela theatri.
Sic ait, & Nocti Sapiens ea iura remisit.

ORTA PVDORICOLOR.

HACTENVS de virtutibus quæ referuntur ad illos ipsos, in quib. insunt. sequitur illa quæ refertur ad alios, nempe Iustitia, quam idcirco ἀγαθὸν ἀλλότριον siue *bonum alienū*. Thrasymachus sophista vocauit apud Platonem lib.1.de republica, & tangit Aristoteles c.1.lib. v. ad Nicom.

Octauus igitur & decimus hic dies in veri ciuitate Iustitiæ dicatus est, quo non alius pulchrior inluxit: conuenientissimúmque huic tam festiuo diei auctor cœpit exordium, partim à pulchritudine solis, cui parem fecit splendorem Iustitiæ, partim à tenebrarum horrida specie, cui sit persimilis turpitudo & dedecus Iniustitiæ. Quemadmodū enim virtutis splendor in Iustitia maximus est: sic Iniustitia nihil turpius, nihil fœdius. Atque huius armis, vtrinque Iustitiæ laus acerrimè oppugnatur. Neque enim, vt in aliis animi virtutibus, diuersa etiam Iustitiæ extrema sunt: sed vltra citráque iustitiæ fines siue terminos, omnia iniustitiæ labes occupauit. Aristotel.c.v.lib.v.ad Nic. Quanquam & Iustitiæ extrema sic differre possunt, vt hinc sit defectus Iustitiæ, siue δικαιοσύνη ἐλλείπουσα, *Iustitia deficiens*: inde Ἀκριβοδίκαιον siue *nimia seueritas*, nimius rigor Iustitiæ. De qua extremorum pugna, ornatè copiosèq. Dionysius Originum lib.IIX. Plutarch. in Bruto. Sed illud ipsum ἀκριβοδίκαιον profectò iniustitia est, vnde notissima illa vox, *Summum ius summa iniuria*. Manet itaque decretum illud, Iustitiam oppugnari vndequáque ab iniustitia. Et altera illa regula. Virtutum mediocritates, vtrinque oppugnari à vitio.

Iauellus nescio quis, & id genus alij, de puluere & schola proceres, disputauêre, non esse Iniustitiæ vitiosum extremum vtrinque. Quippe iniuriam facere, vitiosum esse: iniuriam accipere quod Aristoteles alterum extremum facit, non esse vitium. Nemo enim voluntariè vltróque accipit iniuriam, neque si acceperit, eo vituperari nomine potest. Respondent aliqui hodie eiusdem farinæ homines, quod ante dixi, Iniusti-



A. Domus Iniuſtitiæ.
B. Statua Iniuſtitiæ concerpentis Codicem legum.
C. Auaritia & Ambitio, quibus maximè homines mouentur ad Iniuſtitiam.
D. Intemperantiæ effigies inter Bacchum & Venerem. Hæc ſcilicet quoq. labes iniuſtos facere ſolita.
E. Pyramis ſtructa ex parietinis, dirutis nempe ab iniuſtitia virtutum aliarum ædificiis. Triquetræ illius Pyramidis primo latere ſedes Tyrannidis ſiue dominatus: in altero autem Oligarchiæ: in tertio deniq. Ochlocratiæ. In his tribus, dominatur Iniuſtitia.



A. Legitimæ Iuſtitiæ regia marmorea, in eáque porticus, & columnæ quibus adfixæ legum tabulæ.

B. Statua Iuſtitiæ legitimæ, ſiue vniuerſalis, ſiue architectonicæ, cum palla diſtincta ſtellis, læuáque codicem legum tenens, dextra ſpicam virginis Erigonæ, ſiue Aſtrææ, ſiue Iuſtitiæ inter ſtellas.

C. Pyramis triquetra. Primo latere ſedes Regni: altero Ariſtocratiæ: tertio Democratiæ. In his dominatur Iuſtitia.

tiæ vtrumque latus oppugnari à vitioso extremo, si spectetur iniustè agens parum aut nimium, siue δίκαιος ἐλλείπων, & ἀκριβοδίκαιος. Sed hoc quidem prodere Aristotelis castra potius, quam tueri est. Nam verè hoc quidem dicitur, ea ratione quam ostendi: sed alia mens philosopho est. Videlicet docere vult, virtutes omnes esse mediocritates inter nimium & parum: sed cum discrimine. Nam virtutum quæ in adfectionum siue παθῶν moderatione ac mediocritate versantur, vt fortitudinis, temperantiæ, &c. & actuum vt liberalitatis, Magnificentiæ &c. nimium aut parum, æquè vitium est: virtutum autem quibus æqualitas proposita est, vt Iustitiæ legitimæ, commutantis, distribuentis, nimium & parum esse non æquè vitia: sed nimium, esse vitium, parum verò damnum aut malum. Damnum rei, malum personæ. Alio præterea discrimine, ceterarum virtutum nimium & parum, & virtutibus pugnare ipsis, & inter se ipsa quoque confligere: Iustitiarum autem parum & nimium ipsa inter se dimicare: at virtutibus non repugnare propriè parum sed nimium.

De Iustitia igitur atque Iniustitia hodierno die Aristoteles ad Reginam dictutus est, ac primum de Iniustitia, ex cuius deformitate, Iustitiæ pulchritudo facilius agnoscitur. Obuia enim vbique furialis Iniustitiæ facies: at Iustitiæ illa cælestis diuináque imago lucet in paucis,

quos æquus amauit
Iupiter

Quare totius virtutum chori domina & Regina Iustitia, omnibus quidem aliis anteponenda fuisse videtur, vt excellenti specie pulchritudinis suæ, faceret τηλαυγὲς, quod aiunt, τὸ πρόσωπον, siue splendidum principium: sed quoniam ceterarum virtutum quasi concursu exaggerata Iustitia est, illas primùm explanari necesse fuit, quo facilius ad eminentem huiusce tantæ virtutis regionem, illarum quasi gradibus adscenderetur.

Hoc autem iustitiæ generibus notatis apertissimum fiet. Duplex enim Iustitiæ tanquam facies & forma est: vna illius quam *Legitimam* vocant siue *Generalem*: altera illius, quæ in parte siue specie tantum excellit, vulgus dicit *Particularem*. Harum vtraque suum cuique distribuit, sed illa publicè, hæc priuatim: illa ex formula præscriptóque legis, hæc autem ductu & auspiciis tantùm rectæ rationis siue prudentiæ.

Sed genus illud Vniuersalis siue Legitimæ Iustitiæ diuidere ac distinguere rursus necesse est. Vnũ est enim iustitiæ legitimæ genus imperãtis: alterum vero parentis. Illa principis & magistratuum legitima Iustitia est: hæc priuatorum in ciuitate hominum. Princeps enim ceteríque magistratus legibus descriptis, imperant ius vnicuíque tribui pro dignitate cuiusque: priuatorum autem officium est, ita suam cuique tribuere dignitatem, vt à principe aut magistratu impetatum est, id est, ita vt legibus obtemperent eásque obseruent. Vnde illud Ciceronianum 1. de legib. *Iustitiam esse obtemperationem scriptis legibus:* & illa iustitiæ definitio quam expressit Aristoteles c. III. lib. x. Sapientiæ, ὁ δίκαιος καθ' ἕξιν τινὰ πειθαρχικὸς τοῖς νόμοις. *Iustus est, in quo inest habitus, legibus obtemperandi:* Impe-

rantem verò illam Iuſtitiam Hippodamus Thurius apud Stobæum εὐνομίαν dixit, quaſi *rectam legum deſcriptionem*, ſiue *rectam legiſlationem* dixeris. De omni autem ſpecie honeſtatis, leges in ciuitatibus conſtitui ſolent. Itaque leges imponentem eiſque obtemperantem licet omnium virtutum ornamentis abundare. Ex quo illud factum eſt iam tritum vetuſtate prouerbium, *Iuſtitiæ complexu omnes virtutes contineri*: perinde vt ſi totius honeſtatis compendium eſſe diceretur. Ergo & philoſophus hanc ὅλην ἀρετὴν vocauit c.i. & ii.lib.v. ad Nicom. id eſt, *totam* ſiue integram, exque ceteris virtutibus ceu partibus ac membris conſtantem. Et τελείαν ἀρετὴν, id eſt, *virtutem perfectam*, cap. i. libri eiuſd. vt & Theages apud Stobæum. Et in literis ſacris, πύλαι δικαιοσύνης. *Portæ Iuſtitiæ*, ſunt διάφοροι τῆς ἀρετῆς ἰδέαι, *Variæ ſpecies virtutis*, vt explicat Suidas. Item alij. Hinc illa Iuſtitiæ laus ex Poli Pythagoræ inſtitutorum æmuli ſcriptis, apud Stobæum. Δοκεῖ μοι τὴν ἀνθρώπων δικαιοσύναν ματέρα τε καὶ τιθήναν τῶν ἄλλων ἀρετῶν προσειπεῖν. *Placitum mihi eſt*, inquit, *Iuſtitiam ceterarum virtutum matrem atque nutriculam adpellare*. Item Theagis ſententia illa. Καὶ ἔστιν ἁ δικαιοσύνα σύνταγμά τι τᾶς ἁρμογᾶς τῶν μερέων τᾶς ψυχᾶς, καὶ ἀρετὰ τελέα καὶ παντυπερτάτα, πάντα γὰρ ἐν ταύτᾳ. τὰ δ' ἄλλ' ἀγαθὰ τᾶς ψυχᾶς οὐκ ἄτερ ἔσθ' ταύτας. *Iuſtitia*, inquit, *conſociatio quædam & concinnitas conuenientiáque animi partium eſt, perfectáque & omnino ſumma quædam virtus. Huic enim vni laudes omnes domi naſcuntur, ceteræ virtutes huiuſce opibus carere nullo modo poſſunt*. Neque aliter in eodem ludo eruditus Hippodamus Thurius, in lib. de Beatitudine. Εὐνομίαν ſiue legitimam Iuſtitiam, *Cornu Amaltheæ* vocauit. Nam iuſtis imperiis principum & ciuium obtemperatione, *quaſi virgula diuina*, vt aiunt, ciuitatibus omnis omnium rerum expetendarum vbertas, varietas, copia ſuppeditatur.

Et tamen illud à nobis die tertio ex cuiuſdam Pythagorei ſententia dictum de prudentia, illam virtutem ceterarum *ducem eſſe ac matrem*, haud mutamus. Nam ſi adminiſtratio reip. & ſocietas hominum inter ipſos, vitæq; coniunctio ſpectetur, Iuſtitia excellit: ſin autem virtutum in animis procreatio conſideretur, omnibus anteponenda prudentia eſt. Huius enim radio luſtrati & completi animi, omnia virtutum omnium quaſi curricula ſine offenſione vlla conficiunt. Eáque mente Plato prudentiæ in omni virtutum genere attribuit principatum lib. iii. de legibus.

Et quoniam hæc à me tanquam ſchola explicari cœpta eſt: illud quoque ceu *mantiſam* & corollarium adiunxero, virtutes omnes adfici quodammodo poſſe nomine Iuſtitiæ legitimæ ſiue publicæ, quatenus ſcilicet omnes illius admonitu & imperio, deſeruiunt publicæ laudi & incolumitati. Nihilominus tamen eas à Iuſtitiæ vi naturáque differre ex ſubiecta illis materie intelligi licet. Nam legitimæ Iuſtitiæ materia eſt, vt in xii. tabulis, *ſalus populi*: fortitudinis verò, res formidoloſæ, temperantiæ voluptates, Liberalitatis & Magnificentiæ pecunia, Magnanimitatis honores ſūmi, manſuetudinis ira, comitatis, vrbanitatis, ſinceritatis, cōgreſſiones cōuictuſq; humani. D. Tho. ii. ii. Quæſt. lix. Art. vi.

QVA

QVA NEQVE LVCIFERI.

Attingit veteris poëtæ ſenarium, qui eſt cap. I. lib. v. ad Nicom.

οὔθ᾽ Ἕσπερος, οὔθ᾽ ἑῷος οὕτω θαυμαστός.

Non tam Heſperus admirandus eſt, aut Lucifer:

Nempe quam ſpecies formáque Iuſtitiæ. Videtur verò quiqui eſt Poëta ille, ſic locutus quaſi alia Luciferi ſtella ſit, alia Veſperi: ſed eandem eſſe primus deprehendit Parmenides apud Laert. aut Pythagoras apud eundem, teſte quoque ipſo Parmenide.

HORREAT VT TECTO.

Pingit *Iniuſtitiæ* ſedem ipſam, Pyramidem præcelſam, & triangulam ſiue trigonam, ſiue triquetram, malè materiatam, quippe ex dirutis aliarum virtutum tectis, exq. parietinis & maceriis malè cõportatam. Latera verò eius tria nõ ſine ſcalarum gradib. eſſe, eoſq. teneri trib. inlaudatis reip. formis. In primo enim latere domini ſiue tyranni ſedent, in altero deinde oligarchici ſiue pauci principatũ obtinentes iniuſtè, in tertio eſt ochlocratia, ſiue democratia, ſiue iniuſta populi dominatio, quæ ἄκρατος Δημοκρατία, Plutarcho, in Cimone. In culmine Pyramidis Iniuſtitia ipſa rectam rationem, ſiue Prudentiam, pedibus premit, & quaſi contemtim conterit. Iuxta baſin ſiue *acropodium* Pyramidis, ſedent nutriculæ Iniuſtitiæ rerumque publicarum peſtes ac furiæ tres, *Auaritia, Ambitio, Intemperantia.*

SED NIMIS HÆC.

Pereleganti occaſione ab iniuſtitia conuertit ſeſe ad explicationem iuſtitiæ. Nam Ariſtotelem ait exſecrantem ſcelerata Iniuſtitiæ tecta, cõtendiſſe ad limen Iuſtitiæ quod in colle proximo. Depingitur autem Iuſtitiæ legitimæ regia, ornatius ceteris omnib. virtutum domiciliis, ædificata eſſe. In aliarũ enim virtutum ædib. ſubſtruẽdis, certũ aliquod genus ſaxi aut marmoris adhibitum eſt: in huiuſce verò tectis, omnia illa genera ſaxi, omnéſq. marmorum coloris varietates continentur. Qualis apud Strabonem lib. IX. ποικίλη λιθία, ſiue *marmoris varietas*. Neq. admodũ diſſimili ſpecie Thebaicus lapis, quem *Pyrrhopoecilon* vocauêre, apud C. Plinium c. XXII. lib. XXXVI. Hoc autem propterea ſic auctor commẽtus eſt, quia vt iam dixi, omne virtutis genus ad iuſtitiam quodã modo refertur. Deinde Iuſtitiæ domus columnis aheneis impoſita eſſe fingitur, ita quidem vt ſine oſtiis tota ſit, ſempérq. patens, vt Romæ olim Tribunorum pl. domus, quia nullum tempus vacare debet iuſtitia. Concinnéque olim Archytas, *iudicem aræ conſimilem* eſſe dixit, apud Ariſtotel. c. XI. lib. III. Rhetoricor. *ab vtriuſque enim perfugio neminem oportere excludi.* Ad columnas autem aheneas cum Regina propius accedens Ariſtoteles, inciſas in eis omnium præclarè inſtitutarum ciuitatum leges oſtendit, vt florente olim Romæ imperio, εἰς στήλας χαλκᾶς ἐσεγράφοντο οἱ νόμοι, id eſt, *in pilis aheneis leges inſcribi ſolitæ*, vt eſt apud Dionem lib. LIX.

Dionysium lib.x.Illas autem Iustitiæ leges,inquit Aristoteles,omnibus limen *Iustitiæ* intrantibus ad legendum esse propositas, vnde & legibus ipsis nomen Latine inditum est.

STAT MEDIA.

Lustrauit iam affatim Regina materiam & columnas ædium Iustitiæ : nunc ad ipsius Deæ contemplationem piè religiosèque accedit, præmonente Aristotele,magnam huiusce Deæ,nempe Astrææ præsentissimo numini,sanctimoniam & religionem deberi.

HOC SANCTÆ.

Peropportunè ingreditur in explicationem Iustitiæ. Nam cultum ei ceremoniámque adhibendam esse ait propter constans ac perpetuum studium eius de aliis bene merendi. Nam iustitia præditi iustè legitiméque omnia faciunt. Ex tali autem vita, bonis omnibus augentur & cumulantur ciuitates.

PYRAMIDIS RESIDENS.

Depingit effigiem Astrææ siue Iustitiæ,sedentis in fastigio pyramidis cuiusdam firmissimæ, & specie trianguli. Tribus autem lateribus,triplex genus ciuitatis laudabilis attributum est. In primi enim lateris gradibus locati ordine, iusti reges, in altero optimates : in tertio administri & consiliarij politiæ siue timocratiæ,siue status popularis censu temperati, siue in quo cēsus ratio habetur. In his enim generibus ciuitatum,scilicet *Regno*, *Aristocratia* siue optimatum imperio, & *Timocratia* siue Politia, siue censione , Iustitia efflorescit. Aristoteles ipse cap.x.lib. IIX. ad Nicom.c.v.lib.III.de Repub.

DIES VNDEVICESIMVS,

DE IVSTITIA DISTRIBVENDI ET CONTRACTVVM.

VERSICOLORE iterum terras Eous amictu
Induerat, Sapiens vicina palatia cœpit
Visere, quæ puro circumflua lumine struxit
IVSTITIAE GERMANA sibi. Quæ limina postquam
Contigit, Huncce diem, dixit, tibi sancta dicamus
IVSTITIAE SOROR, & summi Iouis altera proles.
Sit mihi fas lustrare tua penetralia sedis.

Sed breuis vna dies, etiam longissima, qualem
Axe vehit Titan vapido sub sidere Cancri.
Ac neque longa satis, quam senis mensibus anni
Sol Phaëton promit gelido sub vertice, duras
Horrifer vnde niues Boreæ molitur, & vrens
Spiritus, & rigido peruadit frigore terras.
Vna dies tamen hæc quanquam breuis, & cito nocti
Decessura, peplo velamina longa trahenti
Per cælum piceo, satis hac regione sedentem
IVSTITIAM Regina tibi nunc carmine pandet.
Tempus erit tuus hic vates, qui fluminis Arni
Editus ad ripas, mea nunc vestigia lustrat,
Latiùs omnia cum reteget, pennisq. fauoris
Sublatus Regina tui, stellantia DIVAE
Ora videns propiùs, per singula promptius ibit
Multiplicis monimenta domus, pingénsq. colore
Cuncta suo, ad seros mittet relegenda nepotes.
Adspice, stant, duplicísq. latus discrimine tecti
Atria, dextrum illinc, læuum hinc, celeberrima claudunt
Quattuor: ast à fronte duplex, & ponè, renidet
Porticus. Hæc illi celebrant de more frequentes
Atria, quos operis sibi VIRGO ASTRAEA seueros
Dilegit sancti socios: spatiantur apertis
Porticibus, varióque mora sibi tædia lentæ
Murmure longa leuant tristes, qui litibus atris
Impliciti, dum pigra vocet matricula scriptos
Ordine, Prætorísq. meet citò causa per aures.
Ast VIRGO media regione ASTRAEA sub auras
Ipsa sedet: soliíque vicem basis explet ahena.
Inq. basi rutilat nitidissima Solis imago,
Sic quasi peruadens inter deiuergia mundi,
Scorpio dire tuas parili moderamine chelas,
Siue ASTRAEA tuas æquato examine lances,
Signifer obliquum qua cingit baltheus orbem.
Semper enim VIRGO sua iura petentibus, æquas
Et faciles, nullo variæ discrimine dedit
Personæ: pretio, precibus, lacrimísque mouetur,
Quantum dura silex, luctantis verbere venti.
Et quanquam Iouis ad solium sedet aurea patris,
Purpureóq. bibit latices Dea nectaris, ore:
In terris viget vsque tamen, veríq. beata

Adsiduè placitas sibi sedes visit in vrbe,
Nec minus interea cæli quóque despicit alti
Vertice, non vnquam conniuens pupula sancta
Virginis, in terris quæ IVSTA INIVSTA* *geruntur:*
Ipsa quoque aduolitans, præstò est sua reddere iura,
Siue petant multi, seu pauci, plectere sontes,
Et benè promeritis largiri præmia. Duplex
Scilicet officium est, quo terras VIRGO *per omnes,*
Portio mensuræ vt rata postulat, omnibus æquè
Supplicia indignis, & dignis auget honores:
Aut numero tribuit nihil euariante, cuíq.
Quod cuiúsq. suum, & lances adtemperat æquas.
Hæc ita dum narrat Sapiens, dum tendit in aram
Oráq. IVSTITIAE, *obtutus Regina, nec vsquam*
Mirantes oculorum acies deflectit, vtrinq.
Adstantem vidit statuam, prope virginis aras,
Nesciáque, his causam à Sapiente requirere dictis
Cœpit, & ipsa, inquit, satis est mihi cognita VIRGO
ASTRICA: *sed quorsum dextra læuaque figura*
Adstans hæ statuæ multum variante? Relucet
Altera purpureis, auróq. superba rigente
Clauatis tunicis, & fulgentissimus ordo
Ponè subit comitum: dextrum latus altera claudit
Inluuie squallens, annis atque obsita pannis,
Auxiliúmq. rogans, gestu quasi supplice, Diuæ.
Adspicit hanc statuam, rabiosi diuitis inde
Toruiter à læua effigies, dirásq. minatur.
Scire velim quorsum hæc ita sint variata figuris.
Tum breuiter Senior. Statuis extrema notantur
Illis, IVSTITIAE *laudi pugnantia: læuum*
Oppugnat latus hic diues, quia migrat honestos
IVSTITIAE *fines, quàm par est plura tenere*
Pertendens: dextro veniens à limite, pugnat
Acriter huic, & habere minus se diuitis arte
Vociferatur inops. Inter NIMIVMQ. PARVMQ.
Acria multicolor, sic prælia gliscere cernit,
Terrarum facies, quâ Sol oritúrq. caditq.
Et videt adsiduè, toto reuolubilis edit
Quotquot in orbe dies, agitato Cynthius axe.
Et ni Diua suo minuat sufflamine lites,
Quásq. sua, partes, NIMIVM *detraxit habenti,*

* Apertè iusta & in iusta, & iniusta velata Iustitiæ specie, quasi δικαιάδικα.
Distribuens Iustitia.
Contrahens.

Lance, det huic propensa, MINVS qui possidet æquo,
In casum cadere incipiant chaos omnia retro.
Sed quo plura meus stilus haurit, plura supersunt.
Oceanum veluti mare qui diffundere tentet
In foueam, sudet frustra multúmque laboret.
Iámque dies abiit, iam deserit Hesperus Oetam,
Cumq. die claudi sua vult confinia sermo.

VERSICOLORE ITERVM TERRAS.

EXPRESSIS legitimæ Iustitiæ lineamentis: nunc illa nobis depingenda Iustitia est, quæ legitimæ tanquam pars subiecta est, & cuius laus omnis consistit primùm in pecuniæ vel honorum & id genus rerum iusta & æquabili distributione, deinde in rebus legitimè contrahendis.

Festiua autem præteritione hunc diem qui est in Veri ciuitate vndeuicesimus auctor sic exorsus est. Cum illa quæ multis libri quincti ad Nicomachum capitibus Aristoteles vix amplecti atque explanare de vi naturáque Iustitiæ satis potuit, ea noster hîc, quoniam poësis tam accuratam præceptorum descriptionem, ac tantam disputandi subtilitatem capere non potest, perpaucis versibus sibi tanquam strictim attingenda esse intelligeret, peropportunè inducit Aristotelem, negantem sibi vnius etiamsi longissimæ diei spatium satis esse ad omnem qui de Iustitia est, sermonem explicandum. Itaque summatim ea se dicturum quæ in diei vnius angustias ex tam varia, multiplici, latéque fusa materie deduci possunt. Tum fore ait vt poëta Florentinus, qui vt hæc tacitè omnia sublegeret, comitatus Reginam est, eadem post paulò, carminis sui penicillo imitetur. Vtque homo militaris neque de schola, sed aula & comitatu principis vnus, laudem reportet, huiusce glaciei dissectæ, qua ipsi in scholis philosophi refrigerantur.

AST VIRGO MEDIA.

Hoc initium sermonis est de Iustitia in parte, siue μερικῇ, siue ita per Ciceronianos licet, *particulari*. Quæ mihi quidem etiam *priuata* vel *propria* dici posse videtur, vt superior illa siue legitima, rectè nominari *publica* vel *communis*.

Propriæ igitur siue priuatæ Iustitiæ duplex quasi facies ac forma est. Vna quæ per disiunctam geometriæ proportionem distribuit honores, pecuniam ceteráq. præmia fortunæ: altera quæ proportione arithmetica suum cuique tribuit in rebus contrahendis, vt venditione, emtione, mutuo, fideiussione, deposito, locatione, conductione, permutatione, atque id genus aliis negotiis quæ voluntaria sunt. Neque enim sine consensione partis vtriusque contrahuntur: sed contracta cum fue-



A. Regia Iuſtitiæ priuatæ ſiue particularis habens non porticus, vt legitimæ Iuſtitiæ regia, ſed vtrinq. atria: à fronte autem & tergo duplices porticus.

B. Statua Iuſtitiæ, eadem ſpecie qua Iuſtitiæ legitimæ effigies, præter quàm quod pro ſpica Virginis, menſuram habet. In baſi verò eius inciſa Solis imago, ſignum Libræ peruadens. Tunc enim ἰσημερία ſiue æquinoctium; ſiue diei & noctis æqualitas. Libra autem & æqualitas huic maximè virtuti conueniens.

C. Prius extremum Iuſtitiæ, NIMIVM ſiue exceſſus, ſpecie ſuperbi diuitis.

D. Alterum extremum, PARVM ſiue Defectus, ſpecie mendici ius ſuum perſequentis.

rint,sequitur necessitas,& obligatio, & actio c.vii.lib. v. ad Nic. l.v. De obl.l.xi.de contrah.emt.C.l.xvii.§.Sicut.D.Commod.Neq.voluntaria negotia tātùm,ad normā suam dirigit hæc iustitia: sed illas etiā res quæ nobis cum inuitis quasi contrahuntur, vel clam, vt si compilemur, aut periurio fallamur,aut adulterio violemur, aut id genus aliis modis iniuriam accipiamus:vel palam,vt verberari, pulsari, carcere aut vinculis iniustè adfligi,spoliari,contumeliis vexari, aliáque id genus sexcenta, quæ tanquam vltra fines procurrentia, inuitissimis etiam illis qui auctores iniuriæ extiterunt,à Iustitia quasi *brabeuta, inter cursores ad metam sedente,manu reprehendi,& reflecti intra mediocritatis limites*,necesse est. Et propterea Iustitiæ statuam paulo post inter duo extrema, nimium ac parum positurus est.Hanc itaque nempe μερικὴν siue particularem Iustitiam,definitione sua Vlpianus expressit l.x.D.de iust. & iure. *Iustitia est constans & perpetua voluntas, ius suum cuiq. tribuendi.* Ac potissimum quidem ad Iustitiam illam particularem Vlpianus respexit, quæ contractus regit,siue quæ commerciis præest.Hæc enim materies Digestorum & Codicis propria. Vt apertiùs explicare facilè quidem, sed longum est. Illi quidem iuris interpretes opus perdidêre,qui longis logis conati ostendere, illam aut Iustitiæ Legitimæ, aut Iustitiæ Deæ siue Astreæ,definitionem esse.

ADSPICE STANT.

Ordirur nunc Iustitiæ priuatæ domum architectari Aristoteles, eodem marmore quo Iustitiæ legitimæ regiam die antegresso ædificauit: ac ne structura quidem ipsa & conformatione differentem effingit: extra quàm quod illa simplices,hæc duplices porticus & aulas habet:quarum illæ domicilia sint Iustitiæ distribuētis: hæc autem illius quæ præest rebus contrahendis. In vtriusque enim lateris domicilio atria duo amplissima depingit. Duo videlicet atria ad dextram esse Iustitiæ illius quæ distribuit,in quorum altero de honorum, diuitiarum & similium fortunæ præmiorum æqua distributione,consilium haberi fingit: in altero ea ipsa promulgari,& quasi viritim distribui. Totidem Iustitiæ in rebus contrahendis atria esse ad læuam, in quorum altero quæritur lucri æquatio, in altero damni. Hæc enim illa extrema sunt *Nimium* & *Parum*, à quibus æqualitas & arithmetica iustitiæ proportio in rebus contrahendis oppugnatur.

Admonet verò Reginam Aristoteles, vt contempletur lineamenta Iustitiæ priuatæ,quam basi aheneæ impositam esse ait,in eáque basi incisam esse effigiem solis meantis per illam orbis signiferi partem quæ dicitur libra: vt specie illa declaretur,nihil tam Iustitiæ proprium esse, quam in rebus causisq. ciuium æqualitatis conseruationem. Nam vt Solis radius in libræ signo,diem æquabiliter humanis omnibus dispertit,neque magis ad Austrum se inflectit quàm Aquilonem: sic Iustitiæ munus est,non pati æquabilitatem iuris communis à quoquam præstantia dignitatis aut fortunæ transiri:omniáque sine amore & sine cu-

piditate, rursúsque sine odio & sine inuidia iudicare. Conuenit enim illos, qui res iudicant esse persimiles iudicum illorum statuis, quas Thebis ait Plutarchus lib. de Isid. fuisse mancas, & oculis conniuentibus: vt earum admonitu, iudices neque muneribus se corrumpi, neque gratia cuiusquam flecti paterentur. Atque hoc pereleganti quadam Iustitiæ pictura Chrysippus expressit apud A. Gellium c. IV. lib. X. Lances autem Iustitiæ adpingi res notissima, & tangit quoque Orpheus ille quiqui est, Hymno Iustitiæ, apud Stobæum Serm. LI.

HÆC ITA DVM NARRAT.

Hactenus de Iustitiæ statua: nunc adsistentem ei vtrimque statuam Regina videt, vnam egentis ac malè vestiti & pannosi hominis: alteram locupletis florentissima veste & ornatu regali, multo auro multísque gemmis visendum. Qua tam dispari specie Aristoteles intelligi ait, omnes controuersias haberi inter homines propter discrepantiam eius quod *nimium* & quod *parum* est. Nam Iustitia quidem τὸ ἴσον, siue in reb. causisque ciuium æqualitatis, conseruatio est. τὸ δὲ ἴσον πόλεμον οὐ ποιεῖ, *Æqualitas autem* vt est in prouerbio, *non parit bellum.* At verò cum hi nimium & aliena pro suis adpetunt, illi autem sua reciperare student, atque iis etiam ipsis de alieno multum adglutinare, multitudinem litium, & varietatem causarum existere necesse est. Perinde vt in corporibus humanis, si rerum illarum ex quibus constant æqualitas & proportio turbetur, vt-pote si sanguis corruptus est, aut pituita redundat, aut bilis in corpore, morbi ægrotationésque nascuntur. Quamuis copiosè hoc & largiter Menenius Agrippa disserit apud Dionys. Originum lib. VI.

DIES VICESIMVS, DE ÆQVITATE.

PVRA renidebat fugienti luce Diana,
Mane sub aduentum fratris, cum VIRGINIS adē
ÆTHERIAE rutila digressus, florida cœpit
In iuga vicini Sapiens, procedere collis,
Et nitidam Lunæ faciem suspexit, & oris
Suauiter vt puri resplendet imagine Phœbē
Dixit, & enitet inter vti Regina minores
Ætherios ignes; sed cum venit aureus ore
Frater lucifico, species argentea Lunæ

Segnis hebet, decus omne leues vanescit in auras.
Pulchra velut Lunæ est facies, opus artis: at illud
Dædala quod natura suo ceu pollice fingit,
Instar habet Solis. Quid enim valet oris imago
Picta, vel educti ceu viuo marmore vultus,
Molliter aut ære ex rigido spirantia signa,
Præ quàm viua cluent, ipsoque educta parentis
Naturæ in gremio? neque tantus splendor in arte
Vnquam erit, vt certet minor hæc, ceu filia, matri,
Argentíue nitor fulgorem prouocet auri,
Candidáue ignifero contendat Cynthia fratri.
Sicneq. IVSTITIAE quamuis pulcherrima VIRTVS,
Multiplices vnquam species æquare decori
Lucentes variè poterit, quibus enitet AEQVVM.
Certis IVSTITIAE est causis locus: omnibus AEQVO.
Namque vbi scripta silent, vel egent interprete iura,
ÆQVA venit RATIO, quæ deficientia supplet.
Nec verò lex vlla potest sic ire per omnes
Articulos vitæ, aut tam clara promere sortes
Cortyna, nihil vt reliquum dubiúmue supersit.
Hæc fatus Senior, limen penetrauit amœnum,
Atq. ait adspiciens Reginam, Florea circùm
Septa vides prati: latè violaria pascunt
Versicolore oculos pictura, narium & omnis
Copia ibi exspirans, gratissima spargit odoris
Munera. Natiui denso sæpimine valli
Cluditur, innumero quod nexa volumine citrus
Implicat, & spinis horrens, onerataq. pomis
Adspectu nitidis, aurámq. imitantibus auri.
Spina notat pœnas, & pomi splendor honores,
Facta quibus bona pensari, mala plectier æquum est.
At spatio interiore virens, bifidóq. minatur
In cælum rupes altissima vertice, qualis
*Parnassus biiugo stat culmine Græcus * ad auras.* * Achaicus. Lactant. ad Theb.
Hinc ceu Cyrrha viret Phœbeo termite lauri,
Inde velut Nysa est, hedera vestita sequaci,
Labitur in medio quasi fons Aganippidos vndæ,
Et leni strepitat per florea murmure rura.
Ad ripam, Themidis fani sunt tecta pusilli,
Stant iuxtim duo signa, latus de marmore leui

Thessalus ad dextrum, rex seruantissimus æqui
Olim Deucalio, læuúmq. Epimethis. Utérq.
Non crebro lapidum (ficta est ea fabula) iactu
Tanta citò generis reparant dispendia nostri
Quondam, sed placidæ facili rationis habena
Siluestres domuere animos, & lenibus æqui
Flexêre imperij iussis, socialiter æuum
Degere uti posita vellent feritate, iugóq.
Subdere ceruices legum, quæ fontibus æqui
Atque boni fluerent, & in arca pectoris intus
Composita, non codicibus, fixóue columnis
* Capitolij. *Ære tabellarum scripta, legerentur in * arce.*
O felix animi, felix ter & amplius ætas
Illa prior, quæ iura fori nesciuit, & artem
Qua lites sereret, messis consurgeret unde
* τὸν ἥττω λόγον κρείττω ποιοῦντες. *Aurea, quam meterent qui * nigra in candida vertunt:*
Integra sed terris AEQVI *cum regna vigerent,*
Cum lis nulla fuit, nimis aut sufflamine longo
Pensilis, aut si quid dubitabile fortè, benigni
I. *Arbitrij res tota fuit, non iudicis ullæ*
II. *Hîc partes tetrici: pœnas infligere culpæ*
Si cui forte opus, haud pœna fuit omnibus una
Formula, delicti licet unus stringeret omnes
III. *Nodus. Namq. tenor valuit vitæ integer actæ,*
IV. *Et valuit minus in fraudem propensa voluntas.*
V. *Atque ea gens* AEQVI *sacris operata* BONIQVE
Scabritiem delere animo non dura, nec ullas
VI. *Velle cicatrices odij superesse, grauésque*
Corde inimicitias coquere, & meditarier acris
Tempora vindictæ: memori sed mente piabat
VII. *Numen amicitiæ sanctum: quæ facta benignè*
IIX. *Ipsis, adsiduè grato sub pectore scripta*
Pellegere, ipsi aliis si quæ benefacta dedissent
IX. *Neclegere, & ratione magis decernere velle*
Vindice quàm gladio, magis & contendere verbis
X. *Quàm certare manu: si quid fecisset ineptè*
Error, & humanæ minus occæcatio mentis
Cauisset, veniam faciles dare. Talibus AEQVI
Artibus atque BONI *quibus est instructa taberna*
Pectoris, hi non tam legem spectare, parentem

Ipsum quàm soliti legis, nec verba tenere
Qualiacumque & in hac res ipsas vertere, verba XII.
Flectere sed quò res vocat, & quo conditor ipse
Legis: & hanc totam vult discere, nec sibi partem XIII.
Inde aliquam mutilans, res iudicat, aut citò fundit
Lubrica de dubio titubans oracula iure,
Lene sub arcano qui pectore condidit æquum.
Has AEQVIQ. BONIQ. artes qui neclegit, omnes
Perlegit incassum leges: inscitia semper
Obiicit huic nubem, veluti nunc spargere bigis
Vesper ab Hesperia veniens regione citatis,
*Ingreditur latè * crepera caligine terras.* * crepusculo.

PVRA RENIDEBAT.

QVO plures in hac Veri siue morum ciuitate dies, eo pulchriores. Pulcherrimus quidem Iustitiæ legitimæ dies, pulchrior etiam hic vicesimus dies Æquitatis. Quam vel vno verbo æquitatem adpellemus licet vt Aristoteles Ἐπιείκειαν, vel coniunctо, *Bonitatem & æquitatem* vt M. Tullius pro Cæcina.

Æquitatis vero excellentiam auctor demonstrauit comparatione quadam artis & naturæ. Nam ars ipsa per se quidem locuples & copiosa est: vincitur tamen vbertate, varietate, copiáque naturæ, cuius tanta est facultas, tamque magnifica & lauta quasi patris-familias locupletissimi supellex, vt idem in pluribus negotiis nunquam vsurpet, cum aliis atque aliis semper abundare possit. Artis autem res *paupertinæ* sunt & angustæ, itaque vnius instrumenti ope pluribus in negotiis vti cogitur. Quod Aristoteles iam olim pereruditè cultri Delphici exemplo declarauit c.1.lib.1.de Repub.

Conuenienter itaque nunc Iustitiam arti similem fecit, æquitatem naturæ. Nam æquitas ipsius naturæ quasi norma quædam est, iustitia vero quasi artis & instituti humani. Itaque copiosior æquitas, quam iustitia legitima. Nam quæ legibus in ciuitate adstringi & vinciri non potuerunt, ea perpenduntur ad normam æquitatis. Breuitérque & commodè Aristoteles definiuit æquitatem cap. x. lib. v. ad Nicomach. Ἐπανόρθωμα τοῦ νόμου siue *correctionem legis*, & cap. x. lib.1. de arte dicendi τοῦ ἰδίου καὶ γεγραμμένου νόμου ἔλλειμμα, siue *propriæ legis conscriptæque residuum*. Nam si quid legibus præteritum est, id æquitate retrahitur: & si quid arctius quam par sit, legis vinculo adstrictum est, id æqui ac boni arbitrio laxatur.



A. Pratum Æquitatis ſæptum citris arboribus denſatis & implicitis.
B. Templum Themidis quaſi ad radices montis Parnaſſi.
C. Deucalio rex æquiſſimus, & reſtaurator generis humani poſt eluuionem terrarum.
D. Pyrrha vxor & ſoror Deucalionis: Iuxta vtrumque effigies lapidum verſorum in homines.

HÆC FATVS SENIOR.

Præstantiam Æquitatis declarauit Aristoteles:nunc per vallem subiectam Reginæ viam aperit in collem propinquum, vbi locus ac regio est Æquitatis : quam coloribus suis scitissime pingit. Nempe amœnissimum pratum esse,aggere incinctum,fossaque maxima. In aggere autem ipso copiam citrorum esse, quæ sæpimenti ac muri vicem expleat. In prato deinde interiore duo tanquam Parnassi montis iuga esse vnum vestitum lauru:alterũ hedera. Ad radices autem ipsas montis templũ esse Themidis Cęli filiæ, vt apud Festum est, quæ Iustitiæ, & Æquitatis olim Dea dicta & habita est. Itaque Ausonius in Monosyllabis Deorum.

Prima, inquit, *Drûm fas*,
Quæ Themis est Graiis.

& carmine XXIII. in professores Burdigalenses.

Sub Ioue quæ Minos, quid Themis ante Iouem.

Iouem, leges siue ius constitutum dicit : Themidis autem nomine æquitatem, sine instituto fluentem ex natura intelligi vult. Quanquam generatim quidem Themis etiam vsurpari solita pro Dea legum & æquitatis. De templo autem Themidis Strabo lib. IX. Ouid. lib. I. De mutatione formarum. Iuxta verò templi aditum atque adscensum, dextrà læuáque statuæ sunt Deucalionis Thessaliæ olim regis, & coniugis eius Pyrrhæ, de quibus Poëtæ fictis fabulis prodiderunt eos ex oraculo Themidis, lapidibus proiectis à tergo, & in homines mutatis, post eluuionem terrarum, rursus initium attulisse propagationis humanæ. Rẽ autem ipsa & veritate intelligi voluerunt, Deucalionis regis iusti, integri, religiosi institutione ac disciplina, homines diritate ac immanitate sic efferatos, vt penè saxei viderentur, sic emollitos fuisse, vt ab institutis agrestibus ad religionem, æquitatem ac bonitatem flecterentur. Quod Plutarchus attingit lib. II. disputationis suæ contra Coloten discipulum Epicuri, & Lucianus in comment. suo lib. de Dea Syria. Aliter tamen allegoriam huiusce fabulæ Ioannes Tzetza expressit. Chiliadis VII. histor. CXXXIV. Aliter etiam Iustinus lib. IV. & Paulus Orosius cap. IX. lib. I. Philo quidem Herennius lib. de præmiis & pœnis, qui Græcis Deucalio est, hunc Chaldæis esse Noe inquit, cuius tempore maxima illa contigerit, vniuersi orbis terræ eluuio, de qua est in literis sacris. Similitérque Iustinus Martyr. Apolog. I. Et argumento est, quod de arca Deucalionis, & columbæ ex ea emissione Plutarch. commemorat, lib. quo animalium prudentiam comparauit.

Benè autem Poëta fano Themidis & Æquitatis, quasi æditous adposuit Deucalionem & Pyrrham. Quia vt canit Ouid.

Non illo melior quisquam, nec amantior æqui,
Vir fuit: aut illa, reuerentior vlla Deorum.

O FELIX ANIMI.

Digreditur in laudationem populi antiqui à Deucalione Pyrrháque

propagati primitùs, atque ita peropportunè ostendit, quænam partes sint æquitatis ex Aristot. Rhetoricis c. XIII. lib. I. Vt si duo, conditione dispari homines, idem forte flagitium susceperint, sæpe hunc ad pœnam vocet, illi vero ignoscat, in voluntatem & animum eius qui peccauerit magis intuens quam in peccatum ipsum, De voluntate autem eius coniecturã faciens ex vita eius antegressa, *cuius perpetua vox*, inquit Tullius pro Sulla, *grauissima debet esse*. Huiusmodi æquitatis riuulus Persarum lex illa quam dilaudat Herodotus lib. I. vt reorum culpæ cum laudibus quasi bilance perpensis, fieret quasi compensatio, & hæ vel ad perniciẽ vel ad salutẽ rei valerent, quæ plures & grauiores inuentæ, &c. Qua & Philotas æquitatis defensione vsus apud Q. Curt. lib. VI. *Philotas* inquit, *Complexus regem, orate cœpit, vt præteritam potius vitam quàm culpam intueretur*. Et M. Cato apud C. Sallustium hanc præscindit coniuratis defensionem, & quasi viam intercludens, *Videlicet*, inquit, *cetera eorum vita huic sceleri obstat* &c. Benè & Tullius Verrina II. *Rectè factis vitia subleuari*. Sic Aristotelis loco anted. Æquitatis præceptum est, σκοπεῖν, μὴ ποῖος τις νῦν, ἀλλὰ ποῖος τις ἦν αἰεὶ, ἢ ὡς ἐπιτοπολύ. *Spectare, non cuiusmodi quisque in præsens, sed qualis semper, aut plerumque*, &c.

Sunt item æquitatis præcepta, vt citius iniuriam acceptam obliuisci quam beneficium: accepti autem magis quam dati beneficij meminisse: iniurias & contumeliam, aut æquo animo pati, aut depellere legibus ac iudicio magis quam vi & armis. μᾶλλον λόγῳ ἐθέλειν κρίνεσθαι ἢ ἔργῳ. *Malle ratione ac verbo decernere, quàm facto*, &c. vt ille apud Comicum. *Omnia prius experiri quàm armis, sapientem decet*. Eaque sæpe legationum causa: vt apud Dionys. legat. II. Legati Romanorum ad Sabinos. Legationem, inquiunt, prius ad vos mittere voluẽre, καὶ μὴ πρότερον ἄρξαι τῶν ἔργων, πρὶν ἢ πειραθῆναι λόγων, *neque prius facere ordiri, quàm pratentare verbis*. Et Menelaus apud Libanium. τὰ δίκαια τῷ λόγῳ πειρᾶσθαι λαμβάνειν, ἀλλὰ μὴ τοῖς ὅπλοις ἐπιπηδᾶν, ἀνθρωπινώτερον. *Ius suum dictis persequi & argumentis, humaniùs est: quàm armis mox incursare*. &c. Similiter & Pericles apud Thucydidem lib. II. sed verbis Latino interpreti non intellectis. Neque alius Creonti regi sensus, apud Euripid. Phœnissis Item, *arbitrum adigere* potius, quàm ire ad iudicem aut reciperatorem. Et legem totam spectare, non partem. Quod Iulij Celsi quoque præceptum l. XXIV. D. De legib. *Inciuile est, nisi tota lege perspecta, vna aliqua parte eius proposita, iudicare vel respondere*, &c. Sed benè hoc philosophus generatim posuit, quasi ad omnes contractus omniáque negotia pertinens. Hæc taliáque iam olim exposuit Aristoteles c. XIII. lib. I. Rhetoricor.

DIES VICESIMVSPRIMVS, DE VIRTVTE HEROICA EIVSQVE EXTREMO, FERITATE.

SEDIBVS egreſſus placidi viridantibus ÆQVI
Sub lucem Sapiens, collis regione propinqui
Floriferum, & latè veſtitum lumine campum
Purpureo cœpit proficiſci, ac talia fari.
Jam ſolito citius propera NOX demere pepli
Vela tui, quibus & male-grata ſilentia noſtra
Lenta facis linguæ, varióſque odioſa colores
Eripis ex oculis: tu contra lucide mundi
Præſul, & aſsiduo terras, mare, ſidera cæli
Lumine qui comples, clara luce atq. ſerena
Nunc ſolito magis exorere, & de ſtamine textis
Auri flamicomante tui, feſtiuius horas
Indue, quas patitur nunc perbreuis area Circi
Paucas ire tui. Sedes luſtrare beatas
Tendimus Elyſij veterum lætiſsima PRATA
HEROVM, quos acta piè ſanctéq. mereri
Vita pias fecit ſedes, agitatáq. terris
Atq. homines inter varios, commercia cæli.
Labe procul vitij Ratio illis perſtitit vſq.
In ſtatione ſua, & vigilaci mente voluntas
Optima: ſeu caſtris alacres ad ſigna, mouerent
Sanguinei graue Martis opus: ſeu leniter æquo
Imperij regerent vrbes moderamine: pleno
Siue foro merſi, lites ac ciuica iura
Tractarent agiles; ſeu dulcia pignora natos
Coniugiúmq. domi patria pietate fouerent.
Atq. ita dum media ſeſe in vertigine rerum
Ipſi agitant, memoréſq. ſui populumq. patréſq.
Promeritis faciunt, meliores inde magíſq.
Felices abiêre: Arabum velut auia Phœnix
Vnica ſemper auis, lucos ſiluáſq. pererrans,
Pulchrior eſt, rediuiua ſuo cum funere prodit.
Hæc ita præfatus ſenior, ſeſe intulit altè

Qua patet Elyſij SEDES HEROICA *campi,*
Atque ait. Hæc circum læti ſæpimine prati
Planicies viden' vt lauru palmáque viciſsim,
Et myrto variè implicitis, eſt vndíque cluſa?
Vincere conſuetis frondes HEROIBVS, *illæ*
Victrices bene conueniunt, DIVINA *coronas*
De quib. implectens, circum illis tempora cingat
VIRTVS. *Semper vt hæc viridiſsima in aggere cliui*
Frons viget, Elyſij ſemper pia natio campi
Floret, vt hi quorum ſimulacra dicata relucent
Cellis quæque ſuis, celſiſque ſuperba tropæis
Et ſpoliis. Numero ſed paucis præmia dantur
Talia diuini ſemper-florentia honoris.
Ardua nam virtus ea, vel magis vnicus omni
Ex virtute velut, cælóque eductus aceruus,
Omnibus atque auis inuentu rariſsima terris.
Stat prima tandem, vagus olim, limine cellæ
AMPHITRYONIADES, *ſpolióque horrente leonis*
Nunc quoq. terrificus, nodoſæ & robore clauæ
Proximus Ægides, neque tantùm proximus illi
Æde, ſed & merito, & tanquam Tyrinthius alter.
Conditor haud procul hinc Troianæ DARDANVS *arcis,*
Eminus ille ſua clarum de gente nepotem
Reſpicit, eximium Troiæ decus, HECTORA, *cuius*
Reſtitit ad Troiæ magnis virtutibus arces
Annis lenta decem, Graiæ victoria claſsis.
E regione triſeclisſenex, atq. ore diſertus
Dulciloquo NESTOR, *mitis ſapientia cuius*
Plus nocuit Troiæ, quàm profuit haſta minacis
Pelias Æacidæ Graiis. Hunc Troïus heros
ANCHISES *ſequitur, patriæ pereuntis amorem*
Nunc quoq. teſtificans, ceu triſti in marmore vultu:
Atque ſuum cineri cinerem miſcere volenti
Non licuiſſe dolens patrio, patriæq; ruinis.
Inde duo geniti ſummo Ioue, notus vtérq.
Artibus Aſtrææ ſanctis & laudibus æqui.
Terror vtérque malis ingens, ſcopulúſq. reorum:
Hic atque ille domo Cretes, RHADAMANTHVS, *& acer*
MINOS. ELYSIVM *domus his, regione tribunal*
Terrifica dirum eſt Erebi, manéſq. coërcet.
Hæc Sapiens, atq. his venturi præſcius olim

Hæc quoque fatidico sic non temerarius ore
Addidit. Extremo spatiosi margine campi
Calla duplex superest: summa testudine pictus
Unius, est meritis rerum cognomine MAGNVS
CAROLVS *actarum dicendus: Saxonas ille*
Opprimet atroces armis: Saracenica belli
Arte latrocinia elidet, summittere sese
Hunnos terrifico bellutos pectore, coget:
Nullus in omni æuo tanta feritate rebelles
Perdomuit gentes, toties certamine belli
Quamuis indomitos, sua victos sub iuga misit
Hostes: nec minus interea quoque pectore fouit
Munificáque manu, Musas & Apollinis artes.
Æquimanus * *sic ille erit. ast qui sceptriger artes* * ἀμφιδέξιος
Martis amat crudas: Musarum spernit & odit
Artes innocuas, & nullo sanguinis haustu
Ebriolas, sed Castalio de rore madentes,
Nectare Apollineo saturas, & Hianthide lympha,
Mancus, & exstincta viuit quasi scæuula dextra.
Alterius callæ laqueari spirat in aureo,
Effigies regis Ludouici, prælia fecit
Multa Palæstinis qui relligiosus in oris,
Et Syriis: vtcúnque ferent ea facta minores,
Vincet amor cæli, & studium pietatis auitæ.
Planitie in campi, celso sedet aggere vates
Thracius, & blando citharæ moderamine mulcet
Omnia, siluestrésque feras, siluásq. ferarum
Atria: quin terræ potis est penetrare per ossa
Matris, & hac tanta dulcedine carminis, aures
Insensis tribuit (dictu mirabile) saxis.
Hæc ita fabellis sunt prodita: at illa ferarum
Secla fuere homines, ritu quibus acta ferino
Ætas in siluis: stirpes, vt vinitor ipse,
Agricolæue ferunt qui stirpes: saxáq. duri
Ceu rupices: posita hos dociles feritate subegit
Orpheus in cœtu iustè & socialiter æuum
Degere, in Elysiis etiam nunc vallibus idem
Dulciloquo meritas HEROVM, *pectine laudes*
Diuidit, & victum carpit, ritusque ferinos.
Elysij procul à campo in caligine vallis
Subiecta, Feritas sedes habet atra, nefandi

Illa specus latebris, & olente voragine mersa est.
Hic PHALARIS *qui elixa sui pater ipse comedit*
Viscera filioli (si vera est fama:) nec inde
Illa procul Lamia, ex vteris prandere puellos
Effera quæ matrum extractos, consueuerat. Illic
Pasiphae puri turpissima filia Solis,
Acriter infandi stimulata Cupidinis œstro,
Et nitidum cernens, oculo sitiente, iuuencum.
Tales de scabro lapide, & fuligine tætra
Horrentes, propiùs statuas spectare, decorum est
Nec mihi, nec Regina tibi. Non tam mihi Noctis
Pulla parùm grata est facies, caligine cæli
Atria quæ inuoluens; prohibet nunc visere plura.

SEDIBVS EGRESSVS.

INSVLÆ Rhodi aut Syracusarum vrbis, vbi nullo non die sol est, hæc veri siue morum ciuitas persimilis est. Nullum diem habent sine aliqua serenitate, & quin solis radio hilarentur: sed alius tamen alio clarior est. De clarissimis autem hic vnus est, in quo de virtutis Heroicæ præstantia dicturus Aristoteles, conuenienter in exordio radium à sole petit, antegressis omnibus inlustriorem, quo faciliùs Reginæ locum & sedem Heroicæ virtutis demonstrare possit, quæ tantò virtutib. ceteris antecellit, quantò diuina præstantiora humanis. Hæc enim illa virtus est, qua qui instructi & ornati sunt, videntur tanquam Dij quidam versari inter homines. Itaque à virtutis excellentia *diuini* olim Spartæ *viri* nominati. Quam & Romani crebrò locutionem vsurparunt, vt M. Cicero, & ceteri. Atque iidem dicti *Heroes*, vnde nomen *virtutis Heroicæ*: iidem *Semones* & *Semidei* quasi altera tantùm parte homines. De serenitate autem illa perpetua Rhodi & Syracusarum, Cicero Verrina VII. L. Seneca c. XVII. Consolationis Marciæ. C. Plinius c. LVII. lib. I. Solin. c. XI. & XVII. Neque dissimiliter de Alexandria Ægypti Ammian. Marcellin. lib. XXII.

Huic igitur tantæ virtuti non vt ceteris tecta quædam auctor ædificauit: sed campum Elysium depinxit, ad exemplum illius quem Virgilius poëta in sexto Æneidis suæ diuinitùs expressit. In campo igitur tali degere ait auctor Heroica virtute præcellentes, ita nempe adfectos, vt nullis perturbationum flatibus animi eorum agitentur: sed in terris constituti, vitam agant cælestem. Qualem sapientis animum etiam Stoici esse voluêre vt L. Seneca ep. LXI. *Talis*, inquit, *est sapientis animus, qualis mundi status super lunam. Semper illic serenum est*, &c. Eiusce autem modi Heroicæ virtuti opposita est Feritas. Interiectus namque inter excellentem Dei æternámque naturam & expertes rationis



A. Sedes Heroicæ virtutis, ſæpta palmis, lauris, & myrtis arboribus intextis & implicatis, è quarum ramis coronamenta olim heroum.
B. Orpheus, qualem Poetæ pingunt, maximéque Maro Æneide VI. Ouidius lib. x.
C. Decem cællæ in quibus Heroum ſtatuæ vt Herculis Theſei &c.
D. Antra feritatis, quod vitium Heroicæ virtuti oppoſitum.
E. Efferatorum ſtatuæ.

pecudes,homo eſt. Itaque licet ei vel ad ſimilitudinem aliquam Dei appropinquare,vel ad immanitatem belluæ, vt apud Ariſtot. c.II.lib. I. de Rep.qui tantopere *bellutus* ac ferus,ſiue vt Antidamas loquitur apud Fulgentium, expecuatus eſt , vt in hominum ſocietate viuere nullo modo poſſit,vt Timon ille *oſor hominum* apud Laërt. Plutarch.alios, & Q.Metellus apud Ciceron.epiſt.XIV.lib.I.ad Attic.& Bellerophon Iliade VI. is non homo ſed bellua eſt:qui autem ſocietate non egent, quia ſint αὐτάρκεις, ſiue quia in veri contemplatione acquieſcũt,aut ab hominibus abeunt,vt ad Deum magis adpropinquent,hi tanquam Dij ſunt. Sapientérque olim Heraclitus, ὁ σοφὸν ἐστι πάντων κεχωρισμένον. *Sapiens ab omni commercio ſeiunctus eſt*, apud Stobæum Serm. XXIIX. Inter hos Deos, & feros illos ſiue *bellutos*, interiecti homines: inter diuinam ſiue *heroicam* virtutem,& feritatem media virtus hominis,quales illæ de quibus anteactum eſt.*Heroica* illa virtus,eximiæ laudi eſt,vt viceuerſa feritas, ſummæ vituperationi. Neque enim laus vlla præclarior eſt, quam illa quæ ſimilitudinem & ſpeciem aliquã diuinitatis homini attribuit, vt apud Homerum θεοειδής, θεοείκελος, ἀντίθεος, Neque ineleganter à Nicephoro Gregora dicitur, ὑπὲρ ἄνθρωπον ἄνθρωπος, hiſtoriæ lib. x. ſiue *ſupra hominem homo*. De quo genere laudis Lucianus in apologia pro imaginibus. Neque maior eſſe poteſt vituperatio,quàm belluarum , in ſpecie figuráque humana,feritatis. Quales in poëtarum fabulis Titani & Cyclopes.Hinc illa conuicia, *vrſus bipes, aſinus, animal,ſus occiſa, elephanti corio circumtectus*,&c.

PHOENIX VNICA SEMPER AVIS.

Phœnici merito ſimiles auctor fecit *heroes* , ſiue diuina virtute homines. Tum quia perpauci ſunt,vt eſt c.I. lib. VII. ad Nicom. tum quia vt ex funere ſuo Phœnix pulchrior : ſic heroes illi ex negotiis.

HÆC ITA PRÆFATVS.

Topographia vel Topotheſia veriùs, campi Elyſij cum domiciliis heroum.

NVMERO SED PAVCIS.

Infrequenter habitari ait Elyſium , & perpauca in eo heroum eſſe tanquam ſacella.Nam ſacella quidem eis & faſtigia tanquam diis attribuit propter diuinam virtutem,paucos vero eſſe inquit,quoniam diuina virtute homo, *rara auis*. Exempla tamen adiungit eorum,quos in numero heroum repoſuit antiquitas,vt Herculis,Theſei, Dardani,Hectoris,Neſtoris,Anchiſæ,Rhadamanthi,Minois. Quibus illuſtri oratione & quaſi poetica pictura expreſſis,deinde πρόληψιν ſiue anteoccupatione poetis vſitata, Caroli quoque Magni exemplum adiungit, & Ludouici Galliæ regis ſanctitate inſignis. Quorum à diuinandi perito Zeuxide,iam tunc ætate Ariſtotelis,depictas in hoc Elyſio campo fuiſſe imagines fingit,multis ſæculis antequam ipſi naſcerentur.Nam Zeu-

xis quidem ipsum quoque anteceſſit Ariſtotelem, vt videre licet in libris temporum. Argutè verò ingenioſéque Poeta, Rhadamantho & Minoi ſedes poſuit in Elyſio, tribunal apud Orcum, ſatis arguens aliorum Poetarum ineptias, qui tanta iuſtitiæ laude fulgentes, finxerint habitare quoque, non autem ius dicere tantum in Orci Erebo ſiue tenebris. Optimè noſter vt ciues in Elyſio, vt iudices in Erebo eſſe commentus. Tria nempe apud manes iudicia, & tribunalia, Vnum Minois in circulis, & quaſi ſuburbiis ſiue proceſtriis: alterum Rhadamanthi in carcere ſiue Tartaro: tertium Catonis in Elyſio, vt Æneide IIX. Æacus autem portæ ac veſtibuli cuſtos, apud Lucian. lib. de luctu. Atque ita capiendum, quod Æneide VI. Hercules dicitur, *Ipſius à ſolio regis* Cerberum detraxiſſe. *Regis* videlicet Æaci, non autem Ditis, vt malè accipit Seruius.

PLANITIE IN CAMPI.

Cum heroum ſtatuis coniungit quoque illam Orphei, ad exemplum Virgilij in ſexto Æneidis, apud quem Orphei partes in Elyſio ſunt, dulcedine carminis ſui mentes illas ſanctiſſimas delectare & virtutem *Heroicam* laudando extollere, vituperandóque feritatem huic tantæ virtuti repugnantem, affligere. Vt autem Poeta nunc de Orpheo fabellam, interpretatur, ſic & Ioannes Tzetzes Hiſtor. XII. Chiliad. I. Clem. Alexandrin. principio ſui Protreptici.

ELYSII PROCVL A CAMPO.

Hic iam quaſi *de cælo in cœnum*, ex virtutis *Heroicæ* regione, in vallem *Feritatis* eundum eſt, in qua ſpeluncam eius eſſe, inquit Ariſtoteles, infinita quadam altitudine, eámque orationis ſuæ penicillo pingens, minimè dignam eſſe ait, cui regina appropinquet. Eminus igitur eam demõſtrans, ſtatuas in ea inquit eſſe, vili ſcabróque & impolito lapide, vt Phalaridis, Lamiæ, & ceterorum, de quib. Ariſtoteles lib. VII. ad Nicom. Et Græci interpretes. Item Paſiphaæ matris Minotauri, & id genus aliorum. Quippe vt Ariſtoteles ipſe tradit c. IV. lib. VII. ad Nicomachum, Omnis quæ magnopere modum excedit vitioſitas, ſiue amentia illa, ſiue timiditas, ſiue intemperantia, ſiue ſæuitia ſit, ferina eſt, niſi ex morbo nata ſit, aut niſi quid inſitum à natura ſit, aut à conſuetudine profectum.

DIES VICESIMVS SECVNDVS, DE CONTINENTIA ET INCONTINENTIA.

Lucifer ortus erat, Veneris nitidißimus ignis,
Ante diem, biiugisq. citis properante vehebat
Axe suo terris, dubia confinia lucis:
Qua non esse diem posses, non dicere lucem,
Vltima sed noctis posses, & prima diei.
Cum Senior læto migrans de limite CAMPI
ELYSII: *neq. clara dies, neque tetrica Noctis*
Hæc facies, dixit, sed & hanc imitatur & illam.
Haud aliter sero quæ circum vespere tecta
Multiplicat volitans cursus, variósque recursus
Adsiduè, & vacuo sectatur in aëre prædam
Impigra, pelliceis alis agitabilis ales,
Nec censetur aues inter, pennatáq. secla,
Nec bene quadrupedum se gentibus addere tentet.
Sic ea quæ cliui nunc in regione propinqui
Visere tecta paro, neq. sunt VIRTVTIS *honore*
Splendida, nec VITII *squallent polluta veneno.*
Scilicet his tectis habitant, qui sæpe rebelles
CONTINVERE *animi motus, furiata cieret*
Quos VENVS, *imperiúmue* GVLAE: *nec prorsus eosdem*
Edomitos habuêre tamen. Qui CONTINET, *ille*
Dimicat & vincit, medio vt discrimine Martis
Miles, at ille animum cui TEMPERAT *aurea virtus,*
Iam quod vincat habet nihil, aut quod subiuget. Illi
Namq. triumphata & VENVS & GVLA, *desiit olim*
Responsare ferox, & contra tendere velle:
Clarus vti magno belli certamine victor,
Hostibus imposuit qui leges, ante rebellis
Cui populus, quæ nunc prouincia facta quiescit.
Talia præfatus Senior, *penetrauit in ipsum*
Limen, vbi sedes illis, rationis habena
Qui tenuêre animum, ne se VENERISVE PVELLO
Dederet, imperióue GVLAE. *Dehinc, Aspice dixit*

Hanc Regina domum, minus est excelsa, minoris
Luce nitens radij, quàm quæ colit aurea virtus
Tecta, suus tamen huic decor est, sua laus quoq. sedi.
Vt neque laus tantum est, bellis imponere finem,
Et tuta iam pace frui, & peperisse quietem:
Sed quoq. laus pugnare aliqua est, & vincere belli
Prælia, nec trepidè vnquam hosti dare terga feroci.
Ipsa domus facies octangula, fluminis Arni
Ad ripas nunc quale videt Florentia templum,
Sæcula quod Marti posuerunt prisca Quirino.
Nusquam ad prospectus tota patet æde fenestra,
Rauca strepit, raróq. aperitur cardine porta,
Nec multo teritur pede limen. Porticus ambit
Interius totam, crebris suffulta columnis,
Qualibet instructa vt Vestali schemate virgo,
Atq. incincta caput candentis termite oliuæ
Vittatum, atq. solo fixis conniuet ocellis.
Inter eas prima est, aliísque excellit AMATA,
Ordine post aliæ, quas omnes dicere longum.
Omnibus in dextra est rutilanti lumine lampas.
Parte autem supera thalami stant ordine circùm
Longo compositi, sua cuíq. vt cellula, Vestæ
Structa sacerdoti. Mediæ penetralibus ædis,
Marmore de Pario Vesta est, atque arula iuxtim,
Sic quasi perpetui foueat quæ luminis ignem.
Ante pedes VESTAE, *suras euincta cothurnis*
DELIA *puniceis altrinsecus, & Dea fulgens*
*Ægidis * horrificæ clypeo, galeáque* MINERVA
Adsistunt, religántq. manus post terga PVELLO
ALIGERO VENERIS, *pennásque euellere certant,*
Deripiúntq. humeris pharetram, frangúntq. sagittas,
Comminuúntq. arcum. Stat inermis, fletq. misellus
Pusio, & ad pinnas rapiunt ludibria venti
Quas Zephyri, limis, confractáque respicit arma.
Vesta quid est, & sancta micans de fomite flama,
Perpetuò nisi mens Rationis lumine recta
Inradiata suæ, castæ intra limina vitæ
Et sicca, cohibens sese? ceu clausa puellæ
Intra se tenuêre olim penetralia VESTAE.
Dardana quod coluit tellus, imitatáq. deinde
Alba sacrum, simul & rerum quoque maxima ROMA.

* Ægis, clypeus Mineruæ. Iliade v.

His ita lustratis, transiuit in altera collis
Adproperans Senior, decliuia, sunt vbi sedes
Haud procul à Vapido subiectæ limite vallis,
His positæ qui se malè continuêre. Supremo
Nempe iugo VIRTVS, *veneris quæ* TEMPERAT *æstus,*
Exstinguitq. faces, frangitq. Cupidinis arcum
Atque Gulæ ingenium perdit, sibi Diua locauit
Sedes purpureo vestitas lumine: dextro
Hi cliuo resident, quibus oppugnata VOLVPTAS
Turpis, & imperium VENERIS VENTRISQVE: *sinistra*
Parte, INTEMPERIAE *vallem prope, margine cliui*
Ima illis locus est, qui se in certamine vinci
Cum VENERE *atque* GVLA, *sunt passi turpiter. Octo*
Hæc etiam laterum domus est, ait, & data circùm
Porticibus, Sapiens, & crebra virgine fultis
Vestali, sed habent radiantes lumine nullo
Lampadas in dextris, quoniam sub pectore viuit
Cæcus AMOR *tacito, atque incestos excitat ignes.*
Ergo nec vlla istis canæ reuerentia VESTAE,
Dedecorísue metus tanti, nec cura pudoris.
Ast ipsum penetrale tenet de marmore nigro,
Quale fuit Luculli olim, DEA *lurida* NOCTIS.
Mirifico Deo furua caput sibi stemmate cinxit,
Non vittis, non arborea de fronde, corolla aut
Floribus è variis serta, sed plegmate fuscis
Nycteridum ex alis: Lunæ & sibi cornua frontì
Imposuit, longóque nigrantem syrmate pallam
Induit, & vario stellarum sidere pictam.
Occulit hac Veneris pupum, blanditáque molli
Delinit articulo, & tacitis fouet improba votis.
Ponè stat, & digito piceus puer indice labrum
Perprimit Harpocrates, taciturna silentia suadens:
Brachio item, textas de restibus occulit idem
Fur ope consilio scalas, prædulcibus aptas
Matris Acidaliæ furtis: strepitúq. loquaces
Ne prodant soleæ cœpti tentamina furti,
Induit & molli pedibus de vellere soccos.
Parte alia, corpus tecti de culmine præceps
Heronis iacet incestæ, quæ sacra Deósq.
Ebria, Abydeni iuuenis complexibus olim
Posthabuit, vitámque amens impendit amori.

Oppia virgo suum sibi, adhuc de matre rubentem
Fert incesta sinu partum, subitura sacerdos
Sanguine adhuc viuo terram: hic & Opimia turpem
Turpis habet statuam, & Minuti de stemmate virgo
Ne-virgo, adsimilésq. aliæ, quibus hæsit in ore
Virginitatis AMOR, *cæco sub pectore fecit*
Vulnus AMOR, VENERIS *furtiuum* PVSIO. *Tethys*
Sedi am diua meum pridem manet hospita Solem,
Abluat vt longi persusum puluere Circi,
Fluctibus Hesperiis, & eburno pectine crines
Digerat auratos, nobisq. silentia suadet.

LVCIFER ORTVS ERAT.

EXORITVR dies non tam subiecta materie, quàm poëtica descriptione quadam, siue ita licet, ἡμεϱογραφίᾳ præclarus. Agitur enim de *Continentia* & Incontinentia. Quarum hæc vitio, illa virtuti est adfinis. Sed neque hæc planè virtus, neque illa prorsus vitium. Itaque non *Heroica* tantum virtute, siue diuina, sed humanis etiam, vt fortitudine, temperantia, iustitia & ceteris, quarum iam celebrati sunt dies, inferior est.

Hodierno igitur die, qui est in Veri siue morum ciuitate alter & vicesimus, egressus ex Heroicæ virtutis regione Aristoteles cum regina, porrò pergit ad contemplationem domicilij Continentiæ & Incontinentiæ. Quarum tecta posita sunt aliter, quam ceterarum virtutum aut vitiorum. Nam virtutum quidem domicilia in colles imposita sunt, vitiorum autem ædes in vallibus abditæ & retrusæ. At Continentiæ domus non ipso in colle, sed in cliuo est siue adscensu: & Incontinentiæ domus non ipsa in valle, sed extra vallem paucis passibus in collis cliuo quasi altero. Hoc autem earum positu auctor declarauit, neque Continentiam virtutem perfectam esse, neq. Incontinentiam planè vitium.

NEQ. CLARA DIES.

Descriptio crepusculi matutini, quod tempus Continentiæ Incontinentiæq; regionibus accommodatissimum est, vt-pote *creperum* siue dubium. Neque enim diei nomine planè aut noctis adfici potest, sed vtriusque similitudinem aliquam gerit, perinde vt neque Continentia virtus, neque Incontinentia vitiositas propriè nominatur, sed animi adfectio quædam, illa quidem ad virtutis, hæc autem ad vitij similitudinem adpropinquans. Hoc autem ipsum etiam declarauit specie vespertilionis, siue vt Tertullianus loquitur, *vesperuginis*, qui neque terrenum propriè, nec volatile animal est, & tamen habet similitudinem vtriusque. Disseruit ea de re Aristoteles c. XIII. lib. IV. de partibus animal. Macrob. Saturn. cap. XVI. lib. VII. Facetè



A. Domus Continentiæ, quaſi ædes Veſtæ, ac Veſtalium caſtarum.
B. Veſta cum igne ſempiterno.
C. Minerua & Diana exarmantes ac vincientes Cupidinem. Virgines autem Veſtales quæ ſub porticibus, eáſque vt columnæ ſuſtinent.



A. Domus Incontinentiæ, quaſi ædes inceſtarum Veſtalium, quarum malè pictor lampades accenſas expreſſit, cum exſtinctas debuiſſet.

B. Statua, Noctis Deæ, cum corona de alis veſpertilionum & longiſſimi ſyrmatis quaſi pallam diſtinctam ſtellis, ſiue ſtellatam trahens, ſub eáque occultans Veneris puellum Cupidinem.

C. Harpocrates ſiue Sigalio, cum ſoccis laneis ne ſtrepant, & cum ſcala nexa de reſtibus, & os ſibi digito premens, quod aliter quam oportuit, à pictore imitatum eſt: vt neque rectè virum pro puero, & ſcalas collo eius iniectas, non ſub brachio occultatas pinxit.

D. Hero ſacerdotula quæ de turri ſeipſam deiecit.

E. Oppia Veſtalis inceſta.

quidem vt alia Terent. Varro in Satyris. *Quid multa?* inquit, *Factus sum vespertilio, neq in muribus planè, neq. in volucribus sum.*

Non est autem plena virtus Continentia, quoniam ij qui se continẽt, pergunt illi quidem ad Temperantiæ laudem: sed tamen necdum intermortuæ in eis titillationes voluptatum illarum, quæ vel attrectatione vel gustatu percipiuntur: sapienterque Plutarchus lib. de virt. mor. hæc ita diuisit, vt temperantia quidem sit perfecta virtus, intemperantia expletum vitium: continentia inchoata virtus, incontinentia imperfecta vitiositas, comparationémque fecit incontinentis animi, cum ciuitate in qua partim læti sunt partim mœrore oppressi. Sic enim animus ægrè sibi temperans ex parte quidem rationis adpetitum vincentis hilarior fit, ex parte autem adpetitus repugnantis angitur. Ac si repressus paulisper adpetitus ille fuerit, tunc illa continentia est: sin adpetitui succumbit, ea incontinentia est. Ergo & quod Poëta die VII. de temperantibus agens, dixit, *Sed soliti Baccho & Veneri pugnare*, &c. accipe nõ quatenus iam illi temperantes: sed antequam adepti Temperantiæ virtutem essent, siue quatenus continentes adhuc illi, & quasi in aditu ac vestibulo Temperantiæ.

SCILICET HIS TECTIS.

Enucleatiùs iam agere pergit de Cõtinentia, Incontinentia, Temperantia Intemperantia. Continentiam videlicet minus laudabilem esse temperantia: & incontinentiã minus vituperabilem vitio intẽperantiæ. Continentia enim reprimit adpetitum illa quidem, sed non planè opprimit: temperantia verò non prælio sed bello vincit adpetitum, vt Annibalem olim Scipio apud T. Liuium lib. XXX. contráque intemperãtiæ labes rationem adpetitui tradit in seruitutem. Macula vero incontinentiæ talis est, vt vincatur quidem ratio adpetitu, sed pugna quasi *Osculana* atque ita, vt verum illud fiat.

Quondam etiam victis redit in præcordia virtus. Et illud
victíque resurgunt, &c.

IPSA DOMVS FACIES OCTANGVLA.

His ita expositis, Aristoteles peruenit cum Regina in cliuum, vbi tecta Continentiæ, quæ specie tali depingit, quali templum Martis antiquum est Florentiæ, nunc D. Ioanni sacrum, & videri vult esse quasi ædem Vestæ, & habitationum Vestalium. Sed has in ciuitate Veri ædes Continentiæ multo laxiores auctor facit, quàm fanum illud Martis Florentinum est, eámque Continentiæ domum clathris & cancellis omni ex parte clausam finxit. In area verò ipsa effigiem posuit Mineruæ ac Dianæ, quarum illa frugalitas denoretur: hac autem castimonia. Ab iisque constricti & vincti Cupidinis Bacchíque imagines ibi ad Vestæ pedes, vt intelligamus hanc subiectam esse Continentiæ materiam, idque munus atq. officium, vt refrenet libidines, vẽtrísq. ac gutturis vitio, *& ebriorum siti, & vomentium fami*, vt M. Senecæ verbis dicã, obluctetur.

DARDANA QVOD COLVIT TELLVS.

Veſtales primum Troiæ,deinde Albæ,poſt Romæ fuerunt,perpetuæ ſiue *perpetuò*, vt Lucilius loquitur,*ſignatæ virgines*, ſiue ἀειπαρθένοι, ſiue vt Catulli verbum eſt,*Perenni-virgines*,ad cuſtodiam ignis ſempiterni,in templo Veſtæ. De quibus M.Cicero lib.2.legum *Veſtæ*, inquit, *colendæ virgines præſint,vt aduigiletur facilius ad cuſtodiam ignis: & ſentiant mulieres in natura fœminarum omni caſtitatem peti*. Plura de his Dionyſius lib. II. Plutarchus in Romulo & Numa. Flamma verò illa indicium corporis puri & caſti,animíque incorrupti & vincentis adperitum. Sic enim Plutarchus in Numa inquit: καθαρὰν καὶ ἄφθαρτον τὴν τοῦ πυρὸς οὐσίαν, ἀκηράτοις καὶ ἀμιάντοις παρθένοις σώμασιν. *Puram & incorruptam ignis naturam, quaſi notam eſſe corporis inlibati & intacti*. Etſi non neſcij ſumus terram Veſtæ nomine,à multis boniſque intelligi, aliis aliud placere: ſed nobis ita nunc quadrat, Veſtam eſſe animi puritatem, ac de voluptate victoriam. Itaque ſtatuæ illæ Veſtalium quibus Continentiæ tecta quaſi columnis fulciuntur,oliua & palma coronatæ ſunt. Antéque omnes *Amata*, quæ prima virgo Veſtalis capta fuit, & à cuius nomine deinde omnes cum à Pontifice caperentur, *dicis cauſſa* nominatæ fuerunt, *Amatæ*, A.Gellius c.*XII*.lib.I. Etſi Plutarchus in Numa,eas quæ primæ Virgines veſtales captæ fuerint,nominauit *Geganiam & Veraniam*: deinde verò conſecutas fuiſſe *Tarpeiam & Canuleiam*. Troia verò Albam Veſtales tranſlatas: deinde Alba Romam, patet Symmachi epiſt. CXIIX. lib. IX. *Primigeniæ*,inquit,*dudum apud Albam Veſtalis antiſtitis*,&c. Iuuenal. Sat. IV. *vbi quanquam diruta,ſeruat. Ignem Troianum,& Veſtam colit Alba minorem.*

HIS ITA LVSTRATIS.

Tranſitio ad Incontinentiæ hiſtoriam, in cuius domicilio Veſtales longè multúmque aliæ ſunt,ſiue alius-modi. Quippe.

Νύμφαι τ' ἄνυμφοι, παρθένοι τ' ἀπάρθενοι.

Nuptæ ne-nuptæ,virgines ne-virgines.

Verſiculum illum ſcribere & cantitare geſtientes, qui apud M.Senecam veſtali vt probrum obiicitur.

Felices nuptæ,moriar niſi nubere dulce eſt.

OCTO HÆC ETIAM LATERVM.

Digreſſus in collis huiuſce cliuum Ariſtoteles, Incontinentiæ tecta Reginæ oſtendit,in quibus impudicarum Veſtalium,ſiue cum Apuleio & Arnobio loqui licet *imminutarum Virginum* ſtatuæ cum lucernis reſtinctis, in areáque ipſa, virginitatis Deæ Veſtæ locum tenet obſcura quædam effigies noctis cum palla fuſca diſtincta ſtellulis. Qualis apud Claudianum lib.*II*.de raptu Proſerpinæ.

ſtat pronuba iuxta,

Stellantes Nox picta ſinus. Atque hæc ſub veſte ſua latenter ample-

Adspice nunc, geminæ in quadrum de marmore structæ
Ut niteant moles: his interposita sacella
Sunt tria, & has nectunt veluti tria vincula rupes.
Marmore de Pario primum est, & culmine DIVA — Beneuolentia.
Stat summo, cunctísq. velut facere vna BENIGNE
Discupiens, atq. amplecti, sua brachia pandit.
Alterius posita est CONCORDIA *vertice. Tendit* — Concordia.
Laua iugum manus, in dextra est moderamen habenæ.
Ut tenuit Romæ, gentes frenare superbas
Quæ solita, & victis æquas imponere leges.
At DEA *postremi retinet fastigia templi* — Liberalitas.
MVNIFICA: *in laua ramus nitet aureus illi,*
Dextera distringit frondes, & spargit amicis.
Trinos quaq́; gradus moles habet, inq́; supremo
Aurea AMICITIAE *latè resplendet imago*
Illius, & lucem cælo radiata remittit,
Candida conciliat quam virtus. Lucida nostræ
Et quasi Phœbea est hæc vitæ lampas, & atræ
Nubila tristitiæ cispellit, frena iuuentæ
Innectit, senij ceu scipio sustinet, annis
Curuiscentis onus: lætæ sua gaudia sorti
Auget: in aduersa dictis solatur amicis,
Aut dat consilium sapiens, aut re adiuuat ipsa.
Inferiore gradu sedet hanc imitata, sed illi
Dissimilis longè, quam conciliare VOLVPTAS
Nouit AMICITIAM: *læta hinc* VENVS *adsidet, inde*
EVHIVS, *at faciem iuuenili schemate velat*
Et nitida & ridens personula: vellere Serum
Texta, virens humeros incingit læna: corollæ
Circumeunt caput, hibernis genialiter illi
Arte rosis multa serta, quia veris honores
Purpureos, illi longum exspectare morantes.
Cerea sed tota est, & cum breue transierit ver,
Sole sub ardenti radio contacta, liquescit.
Ast ea quæ lucri gratos sectatur odores
Semper AMICITIES, *nummíque cupidine feruet,*
Postremi regione gradus inamœna moratur.
Hæc etiam solidæ speciosum effingere gestit
Instar amicitiæ, studij sed dispare multum
Ingenio est. Rugis caperata seniliter illi
Laruategit faciem: manus est caua semper: apertus

Aut sinus aut gremium, & quæsita recondere sollers:
Pectore sub vapido semper sitis ardet habendi.
Lucrio MERCVRIVS. *comes huic, & vena metalli*
Diuitis assiduè cui profluit aurea PLVTVS,
Cæcus, & occæcans fidos sibi, sæpe clientes.
Hos media inter ficta luto resolubilis vdo est,
Et facile aut pluuiæ, niuis aut aspergine quauis,
Diffluit in nihilum, & tenues vanescit in auras.
Circumstant stimulos quibus anxius admouet acres
Terror egestatis, vel opum vesana cupido.
In radio puri ludunt corpuscula Solis
Paucula, præ quàm turba frequens, quos tale moratur
Fœdus AMICITIAE, *speratáque præmia lucri.*
Ast ea quam Virtutis amor quasi fœderis æqui
Iungit AMICITIES *nexu, paucísque boníſq.*
Adfluit, adsiduo longi quos temporis vsu
Mutua spectatos fecit prudentia, & ætas,
Et fortuna pares. Tales non deiugat vlla
Temporis aut sortis variatio: fœdere perstant
In bene composito, seu fors mage læta renidet
Quàm prius alterutri, seu votis dura malignè
Respondet, licet indulgens & prospera plures
Adlicit & citiùs, quam sæua & tristis amicos.
Huius AMICITIAE *gemina est soror, vtráq. nectens*
Fœdere disparili, quos vel fortuna, vel ipsa
Condicione parens iussit natura coire.
Quamuis qui potior, sese demittere & vltro
Par in AMICITIAE *potis est descendere fœdus*
Illi qui minor est. Sed vbi discrimine largo
Vtráque condicio distat, pollentior æquum
Conuenit haud facile ad fœdus. Quæ causa, superbos
Numen AMICITIAE *reges cur nectere frustra*
Incipiat, tantósque iugo summittere fastus.
Nunc in AMICITIA, *quoq. te Regina docebo*
Quæ mala sint fugienda procul, quibus illa tepescit
Aut perit, ac veluti morbo corrumpitur acri.
Ut procul à nostro refugit cum Phœbus ad austrum
Vertice, districti sterilescunt frigore campi,
Sed cum vere nouo remeans, auríſq. Fauoni,
Prouocat educens gremio telluris aperto
Quæ latuère diu variarum semina frugum:

Sic

Sic & AMICITIES sterilis quasi languet, amici
Cum procul absentis, nullo adspectúue foueri
Adloquióue potest: eadem reuirescit & vltrò
Induit in florem sese, redeuntis amici
Ceu Zephyris recreata nouis, atque enitet ore
Purpureo, & solito circumuestitur honore.
Est & AMICITIAM vt subitò discindere, saltem
Dissuere vt sit opus lentè, cum cœpit amici
Prodere se improbitas nulla medicabilis arte,
Alteriúsue suo maculet qua crimine vitam,
Vulneret aut famam, nihilum peccantis amici.
Ast leuibus maculis, & quas sapientis amici
Eluat ingenium, aut veniens maturior ætas,
Fœdus AMICITIAE non est resolubile sanctum.
Nosse in AMICITIA mores, odióq. vacare
Verum est, & meditari hostis quid distet amico.
Pestis amicitiæ grauis est Parasitica, cuius
Ebria magnorum ructu sunt atria regum.
Nec regem vt simulat, sed se & sua commoda blandè
Insidians parasitus amat, ceu vellus Iason
Iuit in auratum sapidè, sudaret an algu
Ipse aries tremeret, multùm nescire paratus.
Verus AMICITIAE, nulla mercede mouetur
Æditiuus, neque diuitias aut captat honores,
Hortulus aut Paphiæ quos fert decerpere flores
Gestit, AMICITIES ipsa est & fructus amico, &
Ampla satis merces, de qua nunc dicere plura
Cesso perinuitus: sed enim NOX inuida cogit,
Eripiens Solem, sine quo nil dicere fas est.
Postera cum veniens aurora retexerit orbem
Quod superest, Solis renouatus lumine, reddam.

TETHYOS ÆQVOREO TITAN.

SOLEMNIOR dies fortassis aliquis, sed iucundior nullus adhuc in Veri ciuitate inluxit, quã hic est tertius & vicesimus, in quo de Amicitia dicendum est. Cui enim homini potest *vita esse vitalis*, vt loquitur Q. Ennius, qui non in *amici mutua beneuolentia conquiescat?* Quid autem dulcius qnàm habere *qui cum omnia sic audeas loqui vt tecum?* Ingenioséque Aristoteles à Poëta inducitur historiam huiusce diei narraturus, principium orationis suæ conuertens ad Solem, ait Amicitiam.



A. Duæ moles quadratæ, ſedes Amicitiæ.

B. Sacellum BENEVOLENTIAE, & in faſtigio eius ſtatua Deæ brachiis paſſis, quaſi ad amplexum.

C. Sacellum CONCORDIAE, & ſtatua eius, in faſtigio, manu iugum tenens.

D. Sacellum MVNIFICENTIAE, & ſtatua eius in faſtigio, quaſi ramum aureum læua tenens, qualis apud Maronem Æneide VI. dextra ſtringens folia eius, & largiens. Sed pictori læua pro dextra eſt.

E. Statua in vtriuſque arcis primo ſummóque gradu aurea, ſignum veræ Amicitiæ, cum virtute ſemper coniunctæ.

F. Statua cerea in ſecundo gradu, Amicitiæ leuis ac momentaneæ, quæ comes ac ſocia voluptati.

G. Effigies lutea in tertio gradu, quæ comes ſociáque vtilitatis

Solem vitæ nostræ, siue terrenum esse, quia *Solem*, vt inquit M. Cicero, *è mundo tollere videntur, qui amicitiam è vita tollunt.* Atque sic D. Ioannes Chrysostomus apud Stobæum Serm. ccxiii. Βέλτιον ἡμῖν σβεσθῆναι τὸν ἥλιον, ἢ φίλων ἀποστερηθῆναι. πολλοὶ γὰρ τὸν ἥλιον ὁρῶντες, ἐν σκότῳ εἰσί, φίλων δὲ εὐπορούντες οὐδ᾽ ἂν ἐν θλίψει γένοιντο, &c. *Satius nobis est Solem exstingui, quàm orbari amicis. Multi enim qui Solem vident, nihilominus in tenebris sunt: amicis autem qui adfluunt, in calamitate nulla versari possunt*, &c. *In tenebris* nempe *esse* dixit metaphoricè, pro in mœrore & luctu iacere. Rectè autem atque ordine, quoniam de virtutibus perfectis, & inchoatis siue adfectionibus iam exposuit auctor, adiungit de Amicitia, quæ virtutum omnium socia est. Nam virtutes morales actionibus vitæ & hominum societati inter ipsos deseruiunt: omnis autem vita nobis vel cum amicis vel cum inimicis. Amicitiæ igitur post virtutes adhibenda fuit explicatio.

SOL ET SAL DICIER ILLA.

Laudatio Amicitiæ: Illam totius vitæ condimentum esse, neque vllam ætatem, aut cōditionem, vllúmue tempus carere posse fructu amicitiæ. Hi enim quibus amplissimæ fortunæ sunt, amicorum adfluentia non mediocriter egent, quorum ope & consilio thesauri ipsis conseruentur, & in quos vti possint munificentia & liberalitate, cum quidem occultæ, vt musicæ ita pecuniæ, nulla sit delectatio. Eleganter in hunc sensum Aristoteles c.xv. lib.ii. Magnor. moral. Tenuissimis autem opibus homines, aut, quæ Plautina locutio est, *hominum mendicabula*, quid omnino aut ipsi aut vita ipsorum esse potest sine amicis quasi fetentariis, quorum largitate & copia ipsorum indigentia & inopia sustentetur? Neque dissimilis ratio est illorum qui mediocri fortunæ sunt conditione. Hi enim, siue vt hoc ipsum quod iam tenent, bene teneant, siue vt accessione aliqua id cumulent, amicis & gratia egent, qua si spoliati fuerint, herent, vt nauigia quæ in ipso cursu aura venti omnino destituuntur. Eáque ipsa de re Valerius c. vii. lib. iv. Ad summam pernecessarium quiddam & honestum, & naturæ in primis consentaneum, amicitia est, neque familias tantum ac priuatorum opes, sed ipsas etiam ciuitates, regúmque fortunas, multorum beneuolentia munit ac tuetur. Itaque vt iam olim dixit Aristoteles, ij à quibus ciuitates optimis temperatæ sunt & institutis & legibus, non minus de amicitia curasse videntur, quam de iuris æquabilitate cap. i. lib. iix. ad Nicomach. vbi & copiose ac deinceps quoque de vtilitate amicitiæ differit.

ADSPICE NVNC.

Nunc amicitiæ sedem ac regionem describit, facie figuráque à cæterarum virtutum hospitiis longissimè diuersam. Neq. enim domus est, sed geminæ moles & quasi puluini duo exaggerati, qui figura quadri

sunt, & tribus templorum quasi vinculis tenentur. Primum Beneuolentiæ templum est: alterum Concordiæ: tertium Beneficentiæ. Beneuolentiam brachiis apertis pingit, atque exporrectis & patatis amplexari. Concordiæ simulacrum effinxit cum freno & iugo, quæ ceu notæ sunt vinculi amicitiæ, Amici nempe quasi coniugati sunt, siue quasi boues eidem iugo adligatæ. Vnde apud Horat. Oda xxxv. lib. i. *Amici ferre iugum pariter dolosi.* Propert. eleg. vlt. lib. iii. *Tu bene conueniens non sinis esse iugum.* Ausonius epist. xxiii. ad Paullinum. *Discutimus Paulline iugum* &c. Hinc *deiugare* dicuntur amici apud Plaut. Trinummo. Sc. vi. vbi malè Critici corrigunt *deiuuare.* Beneficentiæ verò attribuit ramum aureum, quasi materiam munificentiæ & liberalitatis. Qualis aureus Proserpinæ ramus apud Virgil. in vi. Æneid. Ouid. lib. xiv. Metamorph. Claudian. de raptu Proserpinæ lib. ii. Nec vero tam fabula illa de ramo aureo est, & Poëtica res, quàm videtur. Audire operæpretium est quid Galeotus Martius narret c. xxvii. De dictis & factis Mathiæ regis Hungariæ, agens de territorio & districto Sirmiensi. *Nascitur,* inquit, *ibi aurum ad similitudinem virgulti, simile asparago. Nonnunquam verò sicut capreoli circa truncum vitis intorti, ad magnitudinem plerumque duorum cubitorum, quod nos vidimus sæpe. Sed ille aureus asparagus siue capreolus, iuxta vites natus, non est auri valdè puri. Est enim venæ auri Rhenani. Et anuli ex hoc auro facti, (cum facile fiant, quis enim labor contorto auro digitum circumdare?) dicuntur sanare verrucas. Nam & ego quoque ex huiusmodi aureis virgultis anulum possideo,* &c. Hæc Galeotus ille, fides sit penes auctorem, aut penes illum vt Pausanias dixerit, ὅτω πιςά. Liberalitati quidem aureum illum ex Æneide ramum tribuit Poëta noster conuenientissimè. Vt enim ex arbore illa Poetica, sic de Liberalitatis quoque arbore, ramo

Vno auulso non deficit alter

Aureus, & simili frondescit virga metallo. Eáque de re dictum die ix. Concinnè vero etiam Aurelius Cassiodorus epist. iv. lib. v. cum aureo illo Virgilij ramo comparationem fecit familiæ quæ tanquam seminarium esset, summorũ virorum. *Concordat,* inquit, *huic familiæ ramus ille ditissimus, qui Virgiliano carmine semper renascitur,* &c. Sunt autem hæ tres animi adfectiones, *Beneuolentia, Concordia, & Liberalitas,* à quibus & principium & status siue incolumitas, & incrementum ac robur amicitiæ promanat.

Gemina vero tantum hæc amicitiæ sedes, non multiplex poetæ ingenio depicta est, quoniam germanissimum illud genus amicitiæ, cuius est virtus conciliatrix, fere inter duos tantum solet, non autem plures conglutinari. Qua de re commentarius Plutarchi est inscriptus, περὶ πολυφιλίας siue *de multorum amicitia.* Et Aristotelis præceptio c. vi. lib. iix. c. x. lib. ix. ad Nicom.

Puluini autem illi æquales, atque omnibus rebus gemini, vt intelligatur æqualitas quasi mater esse amicitiæ. Sic enim Plato lib. vi. de legibus, contritum vetustate prouerbium esse ait, *æqualitatē matrem esse amicitiæ,* & Aristoteles c. v. & c. iix. lib. iix. ad Nicom. Idemque c. iix. lib. vii.

ad Eudem. μὴ μάτην λέγεται. Ἰσότης ἡ φιλότης. *Non temere dicitur. Æqualitas, amicitia*, &c. Neque non eleganter Minucius Felix in Octauio. *Amicitia pares semper aut accipit, aut facit*, &c. Quanquam alia item ratione æqualitas mater inimicitiæ, Vnde illud Fab. Quinctiliani Declam. CCCLXXIX. *Inimici ex pari.*

TRINOS QVÆQ. GRADVS.

Tria rerum genera sunt, in quibus innatum ἑλκυστικὸν quiddam, & vis alliciens homines ad diligendum, *vtilitas, voluptas, virtus*, siue honestas. Vnde genus triplex amicitiæ. Vnum illius quam vtilitates conglutinant: alterum quod refertur ad iucunditatem: tertium quod conciliatur opinione virtutis, quam χρηστοφιλίαν Aristoteles vocauit c. v. lib. I. de arte dicendi, & τελείαν φιλίαν, id est, *amicitiam perfectam*, c. III. lib. IX. ad Nicom.

Tertium autem hoc genus veræ sinceræque amicitiæ proprium est. Priora illa duo genera sunt amicitiæ leuis & momentaneæ, & quauis temporum aut fortunæ permutatione tanquam flosculi celerrimè decidunt, quales apud Q. Fratrem. *Breues ac suffragatoriæ amicitiæ* L. Seneca epist. IX. *Hæ*, inquit, *sunt amicitiæ, quas temporarias populus appellat.*

Hos igitur amicitiæ tres quasi gradus & varietates cum declarare auctor vellet molibus illis siue puluinis, tres cuique gradus adpinxit, in quorum supremo amicitiæ veræ, nempe illius quæ virtute contrahitur, statuam auream statuit, latè longéque fulgentem. Proximo sequente gradu est amicitiæ voluptariæ imago cerea, inter Venerem & Bacchum media, personata illa quidem, sed tamen adspectu hilari, formáque iuuenili & integra, colore autem suaui & florente. Idcirco, quia id genus amicitiæ ferè proprium est ætatis florentis siue iuuentutis. Postremo & infimo gradu, est amicitiæ fructuosæ siue illius quam gignit continetq. vtilitas, imago ficta ex luto & argilla, cõlocata verò inter statuam. Pluti atque Mercurij, personam habens etiam ipsa, siue histrionicam faciem, sed striatam rugis & senilem, quoniam talis amicitia existit fere inter homines senes. Atque huiusce imaginis caua etiam exporrectáq. manus est, qua declaretur lucri esse adpetens & rapax, vt de puella sua siue domina Tibullus conqueritur.

Illa caua pretium flagitat vsque manu.

Quales item illi apud Marcellinum lib. XVI. agentes in rebus, non expansa chlamyde, vt mos faciendi erat, sed vtraque cauata manu in consistorio aurum accipientes, quos Iulianus Cæsar, *rapere scire*, dixit, *non accipere*, &c. Neque dissimili saliua Vespasianus C. Suetonij c. XXIII. *cauam manum ostentat*. Et Augustus eiusdem c. XCI. *cauam manum asses porrigentibus præbet*. Athenis quoq. iudices cùm reis tacitè significare vellent, se corruptelæ & munerum acceptioni paratos, sub palliolo cauam manum effingere soliti clanculum, vt reus obseruare posset, ceteros ea res lateret, vt narrat interpres Aristophanis ad Equites. Hinc & ille Aristophanis Thesmophoriazusis iocus in iudicem donipetam, miniméque

vt locuti olim edecumatum.

Ὦ πρύτανι, πρὸς τῆς δεξιᾶς, ἥν σοι φιλῶ
Κοίλην προτείνειν, ἀργύρειον ἤν τις διδῷ.
O Prytani per tuam te dexteram rogo,
Quam tu cauam porrigere amas ad munera.

Sed pulchrè causam horũ iudicũ asinus ille Madaurensis agit lib. x. Causidicis enim qui ea in re disputare soliti, & culpare talis farinæ iudices. *Quid ergo*, inquit, *miramini vilissima capita, immò forensia pecora, immo verò togati volturij, si toti nunc iudices sententias suas pretio nundinantur*, &c.

Sed vt de semita in viam, veræ quidem solidæque amicitiæ statua, ex auro solida est, vt & pretium eius excellénsque præstantia & firmitas siue cõstantia declaretur. Voluptariæ vero illius fructuosæque amicitiæ, è cera lutóque sunt imagines, vt materia tali & vilitas earum & inconstantia, mutabilitas varietásque intelligatur. Eædémque imagines laruatæ, quia natiuam veri amoris, germanæque amicitiæ faciem imitando quasi adulterant, tam me hercle, quàm fictus iste *amor amicitiæ* siue ἔρως ἐπὶ φιλίᾳ, de quo M. Tullius lib. IV. Tusc. quæst. Cui amori personam belle detrahit Aristoteles c. XII. lib. VII. ad Eudem. Amorem esse amicitiæ similem, differre tamen, quia expetit quidem amator *bene viuere*, vt & amicus: sed dissimiliter, videlicet amicus ᾗ μάλιστα δεῖ *quà maximè conuenit*: amator autem κατ' αἴσθησιν siue *sensus titillationi conuenienter*. At ἔρως quidem sic nudè & simpliciter: ἔρως ἐπὶ φιλία, siue amor amicitiæ simulatè, & sub palliolo & mantello. Sed amicitiæ voluptariæ statuam secundo gradu posuit, fructuosæ vero imaginem extremo. Similior enim amicitiæ veræ, iucunda est amicitia, quàm vtilis, vt est c. VI. lib. IIX. ad Nicomach. De triplici autem illo genere amicitiæ exsertim quoque Aristot. c. II. lib. VII. ad Eudemum. Et c. IX. lib. IIX. ad Nicomac. Cicero in Lælio. Breuitérq. sed arguté Dio Pisonianus, & deinceps alij apud Stobæum Serm. CCXIII.

AMOR AST EA QVAM VIRTVTIS.

Hæc eo pertinent vt amicitia vitæ morumque similitudo esse intelligatur, & dignitatis siue conditionis æquatio, omniúmque rerum, cõsiliorum, voluntatum sine vlla exceptione communitas.

HVIVS AMICITIÆ GEMINA EST SOROR.

Æqualium amicitiæ duas inquit esse tanquam sorores. Amicitiam scilicet naturalem, & illam in qua dispari fortunæ conditione amici, quam Aristoteles indigetauit φιλίαι καθ' ὑπεροχὴν ad Nicomach. & φιλίαι ἐν ἀνισότητι c. XI. lib. II. Magnor. moral. Iuuenali Sat. IV. est, *Magna amicitia*: vt *magnus amicus* apud Cicer. epist. XXIX. lib. VII. ad famil. Iuuen. Sat. I. & VI. Horatio *amicus potens* epist. XIIX. & Oda XIIX. lib. II. *venerandus amicus*, epist. XIIX. Quibus amicitiæ generibus auctor locum designauit in altero puluino siue mole amicitiæ, vt die sequenti patebit. Ac naturalis quidem est amicitia vt patris & filij, deinde fratrum, tum viri

& vxoris. Cui amicitiæ, Demosthenes contra Midiam, opposuit φιλίας, ἐκ τοῦ παρατυχόντος συμβαίνουσαν vt si diceret, amicitiam forinsecus aduentantem, siue φιλίαν ἐκ προαιρέσεως, *amicitiam ex instituto*. Atque huiusce generis, amicitiæ illæ de quibus antedictum. Interpreti Terentij Euanthio in Adelph. hæc *amicitia voluntaria* est, nempe quæ *inter alienos*, eamque opponit. *Necessariæ amicitiæ*, siue *sanguinis propinquitati*, quæ nunc Aristoteli est *Naturalis*. Inæqualium autem amicitia est vt diuitis & egentis, fortis & infirmi, docti & indocti. Scienterq. illud sapientiæ interpres ac sacerdos Aristoteles admonuit olim c. VII. lib. IIX. ad Nicom. sic demùm inter superiores & inferiores gigni amicitiam, si mediocris ac modica sit non autem summa inæqualitas: vt principi cum priuato aut tenui homine, vix aut ne vix quidem potest esse amicitia. Demittere tamen sese possunt reges etiam & possidere amicos, vt Alexander Magnus, de quo mentio erit die sequenti.

VT PROCVL A NOSTRO.

Comparatione exprimit amicitias non alia re sæpius quam absentia diuturnóq. silentio dissolui, & vanescere paulatim: sed amici tamen adspectu & colloquiis rursus eas, vt ignem sopitum excitari. Non dixit autem philosophus c. V. lib. IIX. ad Nic. ἡ χρόνιος ἀπουσία, τῆς φιλίας λήθην ποιεῖ. Id est, *longa absentia, inducit obliuionem amicitiæ*, &c. Sed δοκεῖ λήθην ποιεῖν *Videtur inducere obliuionem*, &c. Etenim verè D. Petrus apud Clementem Rom. in Epitoma. συνάπτονται οἱ φίλοι ταῖς μνήμαις, κἂν τοῖς σώμασιν ἐκείνων ἀπολιμπάνονται. *Amici mentibus & memoriis iuncti sunt, etsi corporibus distantes*. Itaque inter amicos etiam absentes & tacentes manere posse amicitiam.

EST ET AMICITIAM.

Pergit alias amicitiæ pestes demonstrare, siue vt M. Cicero loquitur *calamitates*: vt si eruperit vitium amici tale, vt corrigi non possit, ex eóq. ad nos ipsos redundet infamia. Nam leuicula quidem peccata, & quasi *verrucæ*, vt Horatius loquitur, amicorum, ferendæ sunt, quod Ciceroni τερατοφορεῖν. Neque non sapienter Demosthenes apud Stobæum Serm. CCXIII. ὥσπερ οἶνος κεράνταται τοῖς τῶν πινόντων τρόποις, οὕτω καὶ φιλία τοῖς τῶν χρωμένων ἤθεσι. *Vt vinum ad potantium mores temperatur: sic amicitia ad mores amici*. Altera item est amicitiæ multóque capitalior pestis *adsentatio*, quam auctor scitissimè admonet diligentiùs cauendam esse in amicitia, quam in mercatura numos adulterinos, tantóque adsentatores fabris qui cudere soliti plumbeos numos, siue adulteratoribus monetæ videri magis detestabiles ac pestiferos, quantò grauius est animos humanos, quod faciunt parasiti, quam aurum vel argentum corrumpere.

VERVS AMICITIÆ ÆDITVVS.

Veri amici hæc nota est. Non spe lucri, aut voluptatis, aut honoris amare, sed ipsius amicitiæ causa, vt tantæ lucis radio perfusus animus, omni virtutis laude facilius compleatur. Sic magister sapientiæ Aristo-

teles Topicis cap.I. lib.III.differit. *Amicitiam per se expeti*. Et Cicero in Lælio.

DIES VICESIMVSQVARTVS
DE AMICITIA INÆQVALIVM.

TACTA rubescebant orientis lampade Phœbi
Vix iuga vicini collis, transmittere pontem
Adgressus Sapiens instratum marmore, puri
Et radium fortè adspiciens Hyperionis, ingens,
Dixit, honor cæli, diuûmq. hominûmque voluptas
Cynthie, quid sine te nisi nox, humana fuisset
Vita, quid aut doctè fieri aut potuisset honestè
Auspiciis sine Phœbe tuis? Te mergere in æquor
Audent Oceani, radiósque exstinguere vates,
Diue tuos, sed tu neq. sinciput æquore tingis,
Thetyos, aut vlla tuus vnda exstinguitur ignis.
Adsiduè exoriens radiorum munera gentes
Diuidis in varias, noster quas continet orbis:
Aut obiens hilaras populos, tua munera lucis
Spargens his, aduersipedes contraria nostris,
Oppositi figunt sua qui vestigia terris.
Sic & AMICITIAE per gentes didita lucent
Munera, pérque omnes spargit face lumina terras
Sidus AMICITIAE, quam si quis tollere posset
E medio, vitam è vita quoq. tolleret idem.
Mutua non colerent homines commercia, nullis
Cœtibus vtentes agerent socialiter æuum:
Montiuagæ sed more feræ, sua quísq. seorsim
Pabula toruè inhians, prædas & prælia circum
Quæreret insultans aliis, sibi commodus vni,
Atque intus caneret sibi quísque odiísque furenter
Mutua certarent, velut hostes omnibus omnes.
Ast in AMICITIAE regno, germanitùs omnes
Omnibus officiis certant, neque curat amici
Commoda quísque magis tepidè, quam quæ sua: nempe
ALTER AMICVS EGO. Quod quísque impendit amico.

Ipsius

Ipsus in acceptis referens sibi, gaudet: honesti
Regula quòd. patitur, *longæ suauissima vitæ* • quoad.
Condimenta vouens illi, seu FORS *ea, siue*
Ipsa potest NATVRA *parens, siue addere* VIRTVS.
Mutuus hic animus sic commeat inter amicos
Communis quasi Mercurius, non lege iubente
Sic aliqua: ast inhibens sapido sub pectore VIRTVS
Imperium, atq. animi subigit propensa voluntas.
Non igitur lites miseri legísue timerent
Triste supercilium mortales, muta silerent
Iudicia, herbosúmq. forum, vox rauca togati
Volturij streperet nusquam, feralior illo
Carmine, quod gemit in tectorum culmine bubo,
Fœdus AMICITIAE *sanctum si adstringeret omnes.*
Esse in honore studet, multáque indagine captat
Quilibet, ille etiam dignus qui cerite cera,
Quíq. rudis tiro, parmáque inglorius alba,
Nec tali arte potens vlla, cui debita merces
Sit speciosus honor, claræ vel adorea laudis:
Rarus AMICITIAS *sibi iungere quærit honesto*
Fœdere sancitas. Longè tamen, esse in amore
Præstat, quàm esse in honore aliquo. Nam quærit honorem
Sæpe, alium statuens finem sibi: gaudet amari
Quísq. licet nihil hinc aliud se adquirere speret.
Sed litat ille magis sacris operatus, honestæ
Numini AMICITIAE, *qui sanctè diligit vltrò,*
Quàm qui diligitur: veluti matercula gaudet
Filiolo in cunis, nulla qui parte in amoris
Respondere potest. Non si mihi commodet omnes
Ipse suas linguas, Dea linguis consita FAMA,
Enumerare queam numerosas carmine laudes
Quamuis multiplici, quibus adfluit hæc pia vitæ
Mater AMICITIES: *non si mihi commodet omnes*
Ipse oculos ARGVS, *cui corpore lumina toto,*
Ipse mihi sua si det mutua lumina Olympus,
Omnibus eualeam satis instar amabile Diuæ
Dispicere ipse, aliísue omnem depingere formam.
Et iam alacres properanter ad intermetia Circi* • Intermetium τὸ μεταξὺ τῶν καμπτήρων.
Phœbus equos agitat, properemus nos quoq. tecta
Visere, vbi statuæ his positæ, quos fœdere iniquo
Iunxit AMICITIAE, *fors aut natura, parenti*

Pignora coniugij, fratres aut fratribus, alto
Ciues & tumido regi, ceu paruula magno
Se societ, magnos formica imitata, camelo. *
Pulcher in hac primus serie est Hephæstio, magni
Deliciæ regis. Micat aurea vertice læto
Cassida, & in cono, vice prominet aurea crista
Glande sua & foliis Ilex lætissima ramis,
Pendentes demittit apes, examine longæ
Implicitas vuæ, quarum de murmure bombi
Verba sonare putes: TE NON TVA. Scilicet ille
*Verus ALEXANDRI * potiùs, quàm REGIS * amicus,*
Nec sua in officiis aula, sed commoda spectans
*Semper Alexandri. Hoc exemplo viuere verum * est*
Quos comitiua fouet, si rem spectemus, & ipsa
Officij moneat quid formula: sed quasi falsum
Esset, agunt pars plera, quibus nutricula mamam
Aula dat indulgens, scopus illis vnicus, ipse
Quisq. sibi quid ALEXANDER, quid postulet vsus
Regius, haud plerique magis quàm somnia curant.
*Sicut hiant gauiæ * circantes mœnia longæ*
Nauis, & excipiunt si quis proiecerit inde
Vescum aliquid, subita læta, fugiúntq. rapina.
Sunt aliæ hinc statuæ illorum quos nectit aheno
*Ceu clauo pietas. * Hîc est in amore parentis*
Filius, & versa vice, nato vita parentis
Cara sui. Æneam vide sis, vt dulce parentem
Gestet onus, tardum senio, iuxtáq. parentis
Implicitus dextræ vestigia paruula signet
Adtrepidans puer ASCANIVS, flamas ita Troiæ
Triga suæ fugiens, geminæ pietatis imago.
IPHIAS hic pia, quæ corpus complexa mariti,
Insiliitq. rogum, & cumulauit funere funus.
CASTORES hic deinceps, duo lucida sidera, fratres,
Nobile fraterni pariter spectamen amoris.
Sed piceos NOX iungit equos, circúmque citatis
Lasciuire choris, iam cœptant sidera: SOMNVS
Insequitur, secúmque pater variata figuris
SOMNIA mille trahit, paritérq. silentia linguæ.

* μύρμηξ ἡ κάμηλος.
* φιλαλέξανδρος.
* φιλοβασιλεύς.
* æquum, par.
* Alphonsus Arag. rex, apud Anton. Panorm. lib. II. de gestis Alphonsi.
* στοργή.

TACTA RVBESCEBANT.

Saturni festus dies vnus principio Romæ olim fuit, qui deinde læ-

titia blandiente alium ex ſeſe procreauit: non aliter ex amicitiæ die læ-tiſſimo in Veri ſiue morum ciuitate, hic natus eſt quartus & viceſimus, qui eſt de amicitia inæqualium. Quem diem auctor ingreditur celebra-te bonis verbis, nempe laudibus amicitiæ. Hanc enim eſſe ait qua ſocie-tas hominum inter ipſos, & vitæ quaſi communitas continetur, eáque ſublata, vitam fore non minus inſuauem, ac ſi lucidus orbis ſolis ita in oceano mari extingueretur, vt accendi amplius non poſſet. Commenti enim poetæ ſunt Solem obire in mari, ex eóque rurſus emergere. Poetis nempe vt Homero & priſcis philoſophis, Oceanus fuit horizon ſiue li-nea finiens, vt Geographus docet lib.I.& Euſtathius interpres Homeri ad Iliad.lib.v. Theo Alexandrinus ad Arati Phænomena. Nugator au-tem homo L.Florus c.xvI.lib.II. narrans de expeditione D.Bruti in Lu-ſitanos & Callæciæ populos, perueniſſe Brutum ait, non quidem eò, *vbi mures ferrum rodunt*, ſed ad *formidatum militibus flumen Obliuionis, pe-ragratóque victorem Oceani litore, non prius ſigna conuertiſſe, quàm cadentem in maria Solem, obrutúmque aquis ignem, non ſine quodam ſacrilegij metu, & horrore deprehendiſſet.* Neq. minus ad Fabulinum Deum ableganda per-ſuaſio illa, quam profert C.Tacitus in Germania ſua. *Trans Suionas*, ſo-num *Solis emergentis audiri, formáſque Deorum, & radios capitis, adſpici*, &c. Benè ſcriptum, *emergentis*. Opponit nempe Cornelius, Solis orientis *ſo-num*, & *formas Deorum*, & *capitis radios*, ſolis cadentis *fulgori, in ortus edu-ranti*, &c. Neque accedendum opinor v. c. Iuſto Lipſio, legenti, *ſe mer-gentis*. Etiam Moameth in Corano ſuo apud Euthymium in Saracenicis τὸν ἥλιον φησὶν εἰς θερμὸν ὕδωρ καταβαπτίζεσθαι πρὸς τῷ τέλει τῆς ἑσπερίας, καὶ λουόμενον αὖθις πρὸς ὄρθρον καὶ ἀνατέλλειν. *Solem*, ait, *in aquam calentem de-mergi ad extremum Heſperiæ ſiue Hiſpaniæ: deinde lotum aſcendere mane, & oriri*, &c. *Hem, alterum ex homine* illo, ſcilicet Floro, *hunc natum dicas.* Sed de Moametho nihil miramur, *Arcadico germine*, & in cuius ἀγυρτικῇ λο-γοποιίᾳ ingenium aut mentem quærere, tondere aſinum eſt,

Ædepol certo ſcio, inquit Comicus,
Occiſam ſuem ſæpe plus ſapere
Cum manducatur. Neq. Poetas moramur vt Iuuenalem cuius illud eſt Sat.xIv.

Sed longè Calpe relicta, Audiet Herculeo ſtridentem gurgite Solem.

Tali autem ianua in deſcriptionem huiuſce diei auctor ingreſſus, pergit laudare amicitiam, & inhærere illam ait in voluntate animi hu-mani, ſiue habitum eſſe voluntatis, qui animum ita inſtituit, & ad omne aduerſus amicum officij munus inſtruit, vt ipſius commodis nihilo mi-nus gaudeat quam ſuis, ſoláque opinione quam de amici virtute habet, arctiſſimè cum eo quaſi vinculo & nexu copuletur.

ALTER AMICVS EGO.

Prouerbij vice vſurpati ſolitū, vt apud Ariſt.c.Iv.& Ix.lib.Ix.ad Nic. Et magnis moral.lib.II. Laërt. Zenone. Cicer. Lælio, Et epiſt.v.lib.vII.ad famil. Ortum autem à Pythag. Synesius epiſt. xcIx. ὁ Πυθαγόρας, φίλον ἄλλον ἑαυτὸν ὡρίσατο. Pythagoras definiuit, *amicum eſſe alterum ſeipſum.*

Non igitur lites.

Tantarum virium esse amicitiam, vt si omnes eam colere vellent, legitimæ iustitiæ imperium quasi consulare dictatorio tolleretur, fierétq. vt paucitate litigantium, herbis, vt dici solet enatis, forum ipsum ac iudicium silue sceret, vt in vrbe amplissima & ornatissima Syracusis contigisse olim adnotauit Plutarchus in Timoleonte. Neque dissimiliter in literis sacris, Macabæorum historiæ c.IV. lib.I. Et apud Dionem in Euboica.

Purpureos vigilax indagine.

Aliud argumentum laudis, amicitiam esse quiddam præstabile vehementérque expetendum, quoniam quidem minus optabile sit, honore affici quam diligi. Honor enim propter aliud experi solitus, amicitia ipsa per se. Deinde aut virtus amicitia est, aut non sine virtute. Sic enim Aristoteles principio lib. IIX. ad Nicom. Ἔστι γὰρ φιλία, ἀρετή τις, ἢ μετ᾽ ἀρετῆς. *Amicitia aut virtus quædam est: aut cum virtute.* Et Tullius in Lælio. *Nec sine virtute amicitia esse vllo pacto potest.* Et ibidem. *Virtutum enim amicitia adiutrix à natura data est.* At honorem esse virtutem nullus dixeris. Optabilius item diligere quam diligi. Nam illud nostri arbitrij est: hoc autem alieni. Quo ipso etiam inlustratur dignitas amicitiæ, quoniam eius rei semper compotes sumus, quæ in amicitia excellit. Nam vt honorem tribuere, sic diligere in nobis situm est: diligi autem & honore adfici est in potestate aliena. Hæc taliáque Aristoteles c. IIX. lib. IIX. ad Nicom. & Tullius in Lælio.

Non si mihi commodet omnes.

Magnifica superlatione laudes amicitiæ conclusit. Famam ipsam linguis suis omnibus satis dignè laudare non posse Amicitiam, aut formam eius, faciémque satis, etiamsi oculea tota est, contemplari.

Iamq. alacres properanter equos.

Quasi hymno Amicitiæ dicto, vergente Sole in meridiem, cum Regina ingreditur Aristoteles in alteram molem, quæ sedes ac regio est Amicitiæ illorum qui sortis naturæue conditione inæquales.

Pulcher in hac primus.

Amicitiæ imparis exemplum Alexander Magnus & Hephæstio, quem, vt est apud Plutarchum, Alexander nominare solitus fuit φιλαλέξανδρον quasi *amicum Alexandri*, vt Craterum φιλοβασιλέα siue *amicum regis*. Itaque illum valde amare solitus: hunc autem reuereri. Hephæstionem vero auctor cum galea pingit, in cuius apice cristæ loco est ramus ilicis, glandibus aureis incuruiscens, eiusque rami cauum, apicularum examine compleri fingit, cuius admurmuratione disertim expressum hoc verbum exaudiri possit, *Non tua sed te*, arborem scilicet ipsam

cordi sibi esse,non adfluentes in ea glandes.

SVNT ALIÆ HINC STATVÆ.

Subiungit exempla naturalis amicitiæ, vt parentum in liberos,& liberorum aduersus parentes.Item fratrum inter se, & coniugum caritates.

ÆNEAM VIDE SIS.

Exemplum caritatis in liberos & parentes ponit Æneam Troianum, cuius celebratissima in historiis pietas in patrem Anchisen & filium Ascanium.De qua item Ælianus in Variis c.xxii.lib.iii.

IPHIAS HEIC ETIAM PIA.

Exemplum amicitiæ maritalis Euadna, quæ desiderium viri sui Capanei exstincti non ferens,in rogum eius ardentem se coniecit, ne à viro suo morte ipsa diuelleretur.Itaque sic loquitur apud Ouidium.

Accipe me Capaneu cineres miscebimus,inquit,
Iphias,in medios desiluitq. rogos.

Nec minus eleganter illud auctor nunc enunciauit, *Mariti Insiliítque rogum , & cumulauit funere funus.* Quale illud Poetæ Lucretij lib. vi. *cumulabat funere funus.* Notum autem ex fabulis, alteram item Euadnen fuisse Neptuni & Pitanæ filiam. Sed nunc de Euadna Iphidis filia sermo est, quæ primùm dicta fuit Ianira. Interpres hoc Pindari narrat in Olympia.Oda vi.

CASTORES HINC DEINCEPS.

Inlustre φιλαδελφίας siue amicitiæ fraternæ specimen Pollux, cui ne immortalitas quidem sine fratre optabilis visa est.Itaq. rogatu suo impetrauit à Ioue, vt sibi liceret immortalitatis præmium illud cum fratre partiri. Vnde ἑτερημόρους vocat Homerus odyss.xi.quasi *alternis morientes*

SED PICEOS NOX IVNGIT EQVOS.

Nox Dea etiam priscis nota vt Homero, Hesiodo,Orpheo:sed currum ei iunxére,bigas scilicet,Poetæ neoterici siue posteriores Homero, vt Theocritus Idyll.ii. Apollonius Argonaut. lib. iii. in eáque loca id Græci obseruauêre interpretes. Imitati post etiam Latini vt Tibullus eleg.i.lib.ii.Ex quo hic Poetæ nostri locus imitatus videtur.

Tramite Virtutis recto, versáque VOLVPTAS
Dum vice, melle suo, cæca caligine fædis
Vallibus à vitij reuocat, vel in atria blandè
Mollibus imperiis, alacres inuitat, honesti.
Talia cui melli est contendere in atria, viuit
Illi sub sapido latissima pectore VIRTVS,
Testis vt esse potest locuples etiam ipsa VOLVPTAS:
Parturiens veluti cùm in florem se induit arbor,
Fructiferam læto se tegmine prodit amictus.
Hinc venit & maior virtuti gratia, fronde
*Arbor vti felix, * formaq́; decore iuuentæ* * frugifera
Quæ nitet, hac oculis specie se gratior infert.
Atque eadem *studiis rectis lætata* VOLVPTAS,
Indole florentes prodit iuuenalibus annis,
Florea ceu vestis promittit in arbore poma.
Nec verò aut acet, aut confusa DOLORE VOLVPTAS
Effluit hæc in fine, velut comes altera prauis
Quæ studiis: sed abit multo perfusa relinquens
Pectoris in tacito sensu vestigia melle.
Hinc exesto itaque, hinc procul, editus vrbe Cyrenis
Ganeo Aristippus *quam condidit impia secta,*
Carmine Sirenum quouis feralior, ausa
Omne VOLVPTATVM *discrimen tollere: vitæ*
Esse VOLVPTATES *metas finésq. beatæ*
Dicere, seu turpes illæ, Venerísq. ministræ
Atque Gulæ, siue ingenij de fonte, & honesti
Profluerent animi: quæ nunc sapientia summa est.
Nec minus exsensi, quos victis inlita Medis
Porticus argutè nugantes audiit olim,
Omne VOLVPTATVM *nullo discrimine recti*
Aut praui genus ex animis qui posse putarint
Stirpitùs elidi, neq. non & posse DOLORIS,
Si saperent, homines intactos viuere sensu.
*Ista Promethidæ * sapientia stulta repugnet* * Deucalionis.
Ingenio nimium quantum, sic collige: Fecit
Scilicet hic lapides iaciens post terga, renati
Vt fierent homines: illi lapidescere contra
Velle docent homines. Tanta est vecordia cæci
Pectoris, & Sophiæ quod gaudet imagine vanæ.
Propterea nostram trepidant fluitare per vrbem,
Bis seni adsiduè bifido discrimine riui.

Nempe decem dulces, totidem gustantur amari:
Atque decem nitidi per colles, vallibus imis
*Turbiduli totidem fluitant, D*OLOR *atq. V*OLVPTAS
Vt vitiis comes it, vel se coniungit honesto.
Sed medio cæli iam limite Cynthius axes
Incipit aurigare suos: monet hora diei
Scandere in hanc arcem, sedes vbi Vita beata
Constituit, tacito gliscens spectamine rerum.
Omnia nunc memori mea pectore dicta repone
Regina, & sedis regiones disce beatæ.
Quinque patet celsam scalis adscensus in arcem,
Bis denique scatent ima de margine riui,
*Signa Voluptatis variæ, variiq. D*OLORIS.
Antra sub his scalis: ibi vis latet abdita, quiduis
A DPETERE, *atque aliquo sensu quæ carpere gestit.*
Sensus. *Ipsis trina sedet rupis radicibus imæ*
Cómunis *Effigies inter graduum deuortia. Earum*
Prima viden' species perceptas quolibet ante
Adripit à sensu, atque omni regione viarum.
Vis imaginatrix. *Accipit has, fingítque premens dehinc altera: fictas*
Formatásq. diu, sibi tertia colligit omnes,
Memoria *Ipsa sua inspectans retro vestigia semper,*
Anteriora nihil curans, semperq. sorori
Visáq. & inuisa est. Summa rutilantis in arce
Lampadis, hæ semper solita in statione sorores
Tergeminæ velut ancillæ, sua pensa ministrant
Illi ceu dominæ. Est ea nostræ mentis imago,
Cui census venit, & fundata pecunia sensu est.
Quinq. etiam à portis, quina & regione viarum,
Iugiter adspirant auræ, accendúntq. fouéntq.
Flamam, quæ rutilat supremo in culmine saxi.
Lucidior sed enim longéq. citatior illa,
Surgit ab his auris, quæ summa postibus arce
Puriter à quinis templorum, limite spirant
Quæq. suo: quorum hic agitatus flatib. ignis
Adsiduè, cælum peruadit, & aurea cæli
Sidera stellati, & penetrabilis omnia lustrat.
Sed sua iam Titan subducens lumina, mentis
Non patitur nitido de lumine plura mouere.

RVPERAT

RVPERAT OCCENTANS.

LVSTRATIS omnium virtutum moralium & vitiositatum hospitiis, peruenit iam Regina cum Aristotele, ad molem marmoream illam, quæ media, & quasi vmbilicus est ciuitatis huiusce, & per quam adscensus pater in rupem excelsam cui templa quinque imposita sunt, dicata virtutibus Intelligentiæ siue Mentis. Sic Lucret. lib. v. *Humanum in pectus, templáque mentis*, &c. Eò respiciens quod *Mens* Quiritibus Dea. Sed ante huiusce puluini marmorei siue molis adscensum, dies oritur in Veri ciuitate, materia quidem ipsa voluptatis ac doloris partim serenus partim pluuius: sed tractatione pulcherrimus ac plenus serenitatis. Ingenij enim sui luce & quasi radio auctor hilariorem fecit omnem philosophiæ moralis locum illum, qui est de voluptate, atque inimica eius ægritudine siue dolore, quarum vtráque materiam virtutis & virij, habitúmque ipsum, atque ipsam adeò Beatitudinem, vt corporibus vmbræ comitantur. Nam & omne id in quo virtutes & vitia exercentur, molestum aut iucundum est: & actiones virtutum & vitiorum molestiam pariunt aut delectationem: & Beatitudo ipsa, postquam virturib. acquisita fuerit, non est sine sensu voluptatis, vt Aristotelis c. III. lib. IIX. de Republ. c. VII. lib. x. ad Nicom. sed hodierno die in Veri ciuitate, voluptas & dolor spectabitur potissimum, vt comes virtutis & vitij. Voluptas enim & dolor cum virtute si copuletur laudi est, si cum vitio, vituperationi. Quemadmodum differit Aristoteles cap. XI. lib. VII. ad Nic. c. XII. & deinceps lib. VI. ad Eudem. Quemadmodum autem virtuti vitióque sint comites dolor & voluptas exemplis fiet planius. Munifici ac liberalis viri animus lætatur cum benignè facit bene merenti: contráque auarus percipit voluptatem si quid sordidè ac inliberaliter fecerit, vt ille apud Horatium. Sat. I. lib. I.

Populus, inquit, *me sibilat, at mihi plaudo,*
Ipse domi simul ac nummos contemplor in arca.

Aliáque ex parte munifici dolent, facultatem sibi deesse bene merendi. Vnde illa Titi principis notissima vox apud Suetonium, *Amici diem perdidi*: auaris contra nihil acerbius quàm occasio & necessitas aliqua largiendi. Exprimit ergo nunc Aristoteles voluptatem ac dolorem designari in ciuitate morum viginti riuulis scaturientibus ex rupe illa quæ in ciuitate quasi vmbilicus est, moli siue puluino marmoreo vitæ politicæ impositus. De his autem viginti riuulis decem turbidi sunt & amari, totidémq. dulces & perlucidi, ita vt turbatione illa & amaritie declaretur dolor, dulcedine autem & claritate voluptas. Decem autem riuuli nimirum dulces ac puri adluunt ciuitatis huiusce quinque colles, ita vt virturum ædes quasi interamnæ sint, siue inter illos fontes mediæ & interiectæ: reliqui vero decem riuuli in valles influunt, stagnísque turbidis incingunt domicilia vitiorum.



A. Magna moles & quaſi rupes, in rotunda planicie, in eámq. adſcenditur viis quinque, quarum initia ſunt à portis quinque vrbis Veri.

B. Gradus ſcalarum quinq. in rupe inciſi, quibus in ſummum adſcenſus eſt. Inter gradus autem ipſos, parte infima effigies, à læua SENSVS COMMVNIS & VIS IMAGINATRICIS: à dextra MEMORIAE.

C. Flama quæ in cælum adſcendit, ſplendore ſuo denotat MENTEM ſiue INTELLIGENTIAM: calore VOLVNTATEM.

D. Templum SCIENTIAE.

E. Templum ARTIS.

F. Templum PRVDENTIAE.

G. Templum INTELLIGENTIAE.

H. Templum SAPIENTIAE.

I. ARISTOTELES.

K. REGINA.

DEA TETRICA TERRAS.

Noctis caligo tristitiam parit, vt apud Ouid. lib. II Remedij, Fabium Declam. cclxc I. *Nox*, inquit, *est tempus doloris*, contráque Solis splendor adfert hilaritatem. Vnde apud Orpheum Hymno Solis, ἥλιος, ζώων ἡδὺ πρόσωπον. Sol, *iucundus animalium adspectus*. Et Iphigenia apud Eurip. ἡδὺ γὰρ, inquit, τὸ φῶς βλέπειν. *Iucundum enim est, adspicere lucem*, &c. Ergo nunc, cum quasi crepusculo matutino auctor instituerct depingere Dolorem ac Voluptatem, tali principio exorsus est, vt petat primum à Nocte ipsa, quæ nondum planè discesserat, vt pennis suis atris & colore tristifico sibi adsit in descriptione Doloris: deinde Solem orat iam alia in parte cæli emergentem, vt quoniam parens lætitiæ est, in Voluptatis, quæ ipsius filia est, descriptione sensibus suis prælucere velit. Noctem verò *stellarum matrem* vocat, vt & Tibullus eleg. I. lib. II.

curtumque sequuntur
Matris, lasciuo sidera fulua choro.

Tibullus autem ex Orpheo, cuius illud in Hymno Astrorum.

Ἀστέρες οὐράνιοι Νυκτὸς φίλα τέκνα μελαίνης
Ignes ætherij Noctis pia pignora nigræ.

Etiam Euripides in Electra.

ὦ Νὺξ μέλαινα χρυσέων ἄστρων τροφέ.
Nox aureorum nigra mater ignium.

Quippe Nox stellas parere videtur, quia noctu adparere incipiunt. Diei autem quoque Nox mater apud Hesiodum Theogonia, siquidem illa Hesiodi est. Hinc Apuleius lib. XI. *Diem*, inquir, *qui dies ex ista nocte nascetur*, &c. Aristoteles verò etiam ipse c. vi. lib. XII. Sapientiæ, notauit fuisse aliquos sapientes ἐκ νυκτὸς γεννῶντας πάντα, id est, *qui ex nocte procreata dicerent omnia.*

CVM VIRTVTE DOLOR.

Laudi sunt voluptates & dolores si comites sint virtutis: turpes autem ac vituperabiles si adiuncti vitio c. XI. lib. VII. ad Nic. c. XII. & deinceps, lib. VI. ad Eudem.

PARTVRIENS VELVTI ARBOR.

Similitudine declarat voluptatem quæ ex honestis actionibus capitur indicem esse virtutis, vt flores in arbore, fertilitatis. Vt cum is qui largitate munificentiáque vtitur in bene merentes, læto id animo & hilari vultu facit, eo ipso liberalitatis habitum testatur, & munus suum quasi cumulo & commendatione auget. Nam asperè quidem datum beneficium præclarè Fabius Verrucosus, *panem esse* dixit, *lapidosum, quem esurienti accipere necessarium sit, esitare acerbum*. L. Seneca c. VII. lib. II. de beneficiis. Concinnéque Ouid. fabular. lib. IIX. *Super omnia vultus accessêre boni*. Et Catullus, siue quiqui ille est, epithal. Pelei. *Dona ferunt præ se, testantur gaudia vultu.*

NEC VERO AVT ACET.

Voluptates comites virtutum, distinguit à voluptatibus flagitiosis, vt illis Bacchi & Veneris. Nam voluptates honestæ permanentem & solidam lætitiam pariunt:turpes autem fugitiuam & inanem,& cui statim comes pœnitentia & ægritudo. Itaque non sapienter minus quàm acutè Aristoteles ipse apud Valerium præcipit c.11. lib. VII. vt *voluptates abeuntes consideremus*.Bene & Horat.Epist.11.lib.1. *Nocet empta dolore voluptas*.

HINC EXESTO ITAQ. HINC PROCVL.

Pergit paucis refellere insanas multorum opiniones de voluptate & beatitudine. Ac primùm Cyrenaicorum & Epicureorum damnat *insanientem*, vt Horatius dixerit, *sapientiam*, siue vt Gregor.Nazianz. orat. 1.contra Iulianum ἀσοφον σοφίαν, qui contenti in voluptate finem bonorum posuisse, non curarunt distinguere sordidas & flagitiosas voluptates, à synceris & honestis.Itaque impiè ac nefariè neruos omnes virtutis inciderunt,& philosophiam quasi mimulam aut saltatriculam habuerunt,non vt magistram virtutis & sapientiæ. De multiplici autem discrimine voluptatum, sapientiæ magister ipse Aristoteles cap. XII. & deinceps lib.VI.ad Eudemum c.V.lib.vlt.ad Nic.

NEC MINVS EXSENSI.

Refellit iam Aristoteles Zenonis siue Stoicorum sectam, quæ in aliam partem peccauit, damnans voluptates omnes generatim, neque distinguens illiberales & obscœnas à liberalibus & laudatis. Horum philosophia quasi annus sine die festo est,aut quasi dies omnino expers serenitatis. Itaque sapientia talis non facit ad Veri siue morum ciuitatem,in qua vt in Elysio Virgilij.

solemque suum, sua sydera norunt.

Sed hoc etiam ipsum,nempe Zenonem ab Aristotele refelli, anticipatione siue προληψει poëtica accipiendum est. Zeno enim Aristotele posterior fuit: quemadmodum quidem etiam Epicurus, & tempore posterior & morib.id est nequior. Benè autem Poeta noster,Stoicidas, *docere homines lapidescere*. Sic enim & Plutarchus lib. pro Nobilitate, Chrysippum,vocat *Stoicum Lapitham,atq. ex adamante compactum*.

PROPTEREA NOSTRAM.

Descriptio riuulorum XX.quorum deni honestatum voluptatum ac dolorum: totidem turpium significationem habent vt ante dictum die secundo.

SED MEDIO CÆLI.

Significat iam Aristoteles Reginæ tempus esse in ciuitatis huiusce puluinum illum, siue molem marmoream illam adscendere, ad quam

directæ ſunt vrbis quinque portæ totidémque viæ & colles, in quibus virtutum hoſpitia ſunt, à quibus portis, & viis, & collibus, ſpirare inquit auras, iiſque gradus perflari rupis illius excelſæ, cui templa impoſita virtutum Intelligentiæ ſiue mentis, flammámque illam quæ inter quinq. templa elucet, mentíſque imago eſt, foueri. Quo commento auctor declarat, virtutum actionibus mentem foueri, omniúmque rerum cognitionem à ſenſibus quaſi inter nuntiis, ac præcipuè à ſenſu oculorum & auditu ad mentem ſiue intelligentiam deferri. Itaque M. Cicero lib. I. de finibus, *Quicquid*, inquit, *animo cernimus, id omne oritur à ſenſibus*, Et Epicurus apud Laertium, Πᾶς γὰρ ὁ λόγος ἀπὸ τῶν αἰσθήσεων ἤρτηται. *Omnis*, inquit, *ratio apta eſt à ſenſibus*. Etiam ipſe philoſophiæ princeps Ariſtoteles c. IV. lib. III. de anima. Mentem abſque ſenſu, ait videri eſſe ὥσπερ γραμματεῖον, ᾧ μηδὲν ὑπάρχει ἐντελεχείᾳ γεγραμμένον, *tanquam tabellas in quibus perſcriptum adhuc nihil fuerit: ſed perſcribi omnia poſſint*. Hanc enim recipiendi omnia facultatem declarauit Ariſtoteles, adiectione verbi ἐντελεχείᾳ. Neque diſſimili ratione idem philoſophiæ totius auctor & magiſter poſuit cap. IIX. lib. I. de demonſt. illum qui aliquo ſenſu orbatus fuerit, ſcientia rei alicuius haud dubiè cariturum. Similia quædam Plutarchus c. XI. lib. IV. de philoſophorum decretis, & M. Cicero lib. I. Academicarum quæſt. Contra tamen Cæſar Scaliger venit, Exercitatione CCCVII. & XIIX. Qui ſi ad Euangelij formulam examinetur, ferri poteſt: ſi ad naturæ cognitionem, fallitur. Deinde ſi naturæ principia ſpectemus: non peſſimè Scaliger: ſi concluſiones, non optimè. Neque enim hæ ſine ſenſuum adminiculis. Sed longus hic, neque vnius dieculæ ſermo eſt.

QVINQ. PATET CELSAM.

His ita expoſitis, nunc Ariſtoteles in ciuitatis molem illam aſcendit cui impoſita rupes, ſiue arx ipſa, & quaſi ἀκρόπολις. In rupis autem huiuſce cliuo, Reginæ oſtendit philoſophus tres imagines. Prima ſignificationem habet *Senſus communis*, altera *Vis imaginatricis*, tertia *Memoriæ*. Has auctor ſic notis propriis inſignes fecit, itaque coloribus ſuis pinxit, vt actum agere ſit, copioſius eadem velle interpretari. In cliuo autem rupis hæ imagines ſenſuum interiorum poſitæ, quia ſine horum opera non exiſtunt virtutes mentis, vt Scientia, & ceteræ, quarum templa in planiciem rupis impoſita.

DIES VICESIMVSSEXTVS, DE SCIENTIA PRIMA VIRTVTE MENTIS.

PVRIOR Oceani perrarò Cynthius vndis
Emicat, aut citiùs cispellit nubila cæli,
Tunc etiam vapido metas sub sidere Cancri
Cum propior nobis longas obit: Arquitis * hospes
Quàm veteris puro radiat nunc lumine, dixit,
Adspiciens Phœbum Senior, de littore rubro
Læta serenatæ iaculantem tela diei.
Scilicet in iuga nos voluit quasi ducere, tendens
Cynthius ipse manum, templis rutilantia quinq.
MENTIS vbi residet quino discrimine VIRTVS.
Migrat in has animus sedes, in collibus olim
Ante diu multum, variéq. exercitus illis
Quinctuplici per quos hæc limite peruia rupes.
Sic fatus Senior, celso iam culmine molis
Constiterat, gradibus nos per vestigia celsis
Illius, in summam quoq. anheli euasimus arcem.
Atq. ibi tantarum nobis miracula rerum
Præstinxêre oculos, caligine pupula mergi
Cœpta diu, stupuêre animi, vestigia ferre
Vlteriora pedes ipsi timuêre, repente
Adtonuit sic relligio, & circumstetit horror.
Haud secus ac rutilum si quis delatus Olympi
Desubitò ad limen, terras, mare, sidera spectet
Sub pedibus, Solísque iubar, reparatáq. Lunæ
Cornua, & aduerso semper vaga limite, quinq.
Lumina, & obliquum per mundi, baltheus, orbem
Quæ rotat horrificis rutilantia signa ferarum
Vultibus, & toto pascentes æthere flamas.
Tum Sapiens: Hæc templa vides variantia quinque
Luce sua & tectis, circum substructa perennem
Quæ micat in cælum, crinito vertice flamam?
Singula quo veniunt lustremus in ordine. Primum
Cæruleis structum sapphiris prænitet, aureo

* Sagittarij.

Sic quasi consperſis de puluere. Conſcia rerum
Ingens quas variè calique ſolique ſaliq.
Ambitus includit, certiſq. SCIENTIA cauſis
Principiiſq. potens nullo variantibus æuo,
Callida ſpectatrix rerum, quas tangere parcit
ORTVS & INTERITVS, quorum ceu limine fluxa
Antico * *veniunt res in proſcania mundi,* * anteriore.
Poſticóque abeunt: via duplex illa theatri.
Sed penetremus in hac venerabilis intima templi.
Quinq. perinluſtres radiant circum ordine cella.
Latior hac prima eſt aliis, & imagine Diua Scientia.
Vnius haud vno ſpectandam ſe exhibet ore.
Alterius Domina eſt, errantis ſemita Luna Aſtrologia.
Cognita cui ſoli varia eſt, Soliſq. labores,
Conſciáque aſtriferi quid cogitet area cæli,
Vrania, vt digno indigetarunt nomine Graij.
Picta choro tunica eſt flamarum præpete, quinq.
Græcia quas errans, erroris nomine falſo
Reddidit infames: palla eſt variata figuris
Aſtrorum, in facies hominum, rerum, atque ferarum.
Tertia at omnimodis permulcet cantibus aures, Muſica.
Aſſa voce opus eſt, carmen ſeu dicere plectro
Et fidibus, querulo aut animanda eſt tibia flatu.
Inſequitur numeri quæ colligit imparis * *aras* Arithmetica.
Atq. paris quoſuis abaco, cæliq. meatus *ſummas.
Queis amor eſt radio, & variis deſcribere metis,
Aſtricáq. in vulgus, ſurgentia prodere ſigna,
Cæſa minutatim his numerorum fragmina præbet.
Vltima multiplices ſulcare in puluere formas, Geometria.
Metiriq. docet terras, mare, ſidera cælum
Fornicis aurati quæ ſuſtinet alta coronis * * cornice vt ſ. p.119.
Signa, manu referunt imitati molliter illos
Artificis, quorum teſtata SCIENTIA FAMAE
Nunc etiam pennis ad ſeros viua nepotes
Peruolat, inq. omni viget indelebilis æuo.
Primus in his ATLAS, perhibet quem nænia vatum
Riſiloqua, * *ingentis rueret ne machina cæli,* * Tertyll.
Suſtinuiſſe diu nitenti fortiter armo:
Deinde fatiſcentem ſub iniquo pondere templi,
Et trepidum ne ſe, terráſque inuolueret omnes
Vna ruina ſimul, donec Tyrinthius illi

Ferret opem, ſubdens oneri ſua terga viciſsim.
* Atlas. *Sic ſoſpes* TELAMO* *ſic ſoſpita regia cœli.*
Et tamen his ſenſus nugis quoque ſerius: athra
Deſtina flamicoma, & ſtellati baiulus axis
Dictus ATLAS, *mundi quia per conuexa volantis*
Ire ſolens animo, & ſpeculari conſcia fati
* Planetarum. *Erronum* ſpatia, & trepidantia ſigna choreis*
Aſtrica: non humeris ſed vi fulciuerat acris
Ingenij cœlum, quia cœli deditus vno
In ſtudio, vt populi qui rem gerit impiger, illam
Suſtinet, imperiúque ſui rex ipſe columna eſt.
Proximus huic nulla religatus rupe PROMETHEVS
Verùm in Caucaſea, vigilax ſpeculator Olympi.
ORPHEVS *hinc citharæ fama ſuper æthera notus:*
Carminéque Æolio mulcens delphinas ARION
Hîc alij quoq. menſuris, numeriſque potentes,
ARCHYTA, & EVCLIDES, *multiſcia* MVSA PLATONIS,
Atq. alij, vaga quid ſibi vellet opinio plebis
Solliciti nihil, aut quali res ſchemate fluxa.
INSCIA *ſed* NOX *iungit equos, inimica volenti*
SCIRE, *nec in præſens patitur deſcribere verbis,*
Latè poſsideat quos dia SCIENTIA *fines.*

PVRIOR OCEANI.

NON iam hi vulgariter ſereni dies in Veri ſiue morum ciuitate, ſed planè Alcedonia ſunt. Sequuntur enim explicationes virtutum Mentis ſiue Intelligentiæ, quæ neque perturbationum flatibus, nec vitiorum tempeſtate ac repugnantia, neque doloris morſibus diſtrahuntur. Harum enim virtutum habitus, tanquam Olympi cacumen eſt, quod poëtæ ſemper quietum eſſe aiunt, neque vllis ventorum aut tempeſtatum mutationibus agitari.

In hac autem operis ſui parte, auctor nonnihil Ariſtotelis ordinem mutauit, ſed neceſſariò. Nam ille totius *naturæ* quaſi *æditus*, fortitudinis, temperantiæ, ceteriſque morum ſiue animi virtutum ædibus libro tertio & quarto luſtratis, libro quinto, ſubiungit quaſi animi totius ſiue morum θριγκὸν & apicem Iuſtitiam. Deinde lib. VI. quaſi deſcripta iam totius animi ſiue morum regione, transfert ſe ad Mentis ſiue intelligentiæ virtutes, vt ſcientiam, artem, prudentiam, & ſimiles. Quibus ante oculos propoſitis, reflectit ſe libro ſeptimo tanquam ad ſubſeciua quædam, & relicta in deſcriptione morum ſiue animi, & ſubiungit



A. Templum SCIENTIÆ ſtructum de Sapphiro gemma.
B. Quinque cællæ Scientiarum I. quaſi GENERALIS SCIENTIAE, II. ASTROLOGIAE, III. MVSICAE, IV. ARITHMETICAE, V. GEOMETRIAE.

iungit duo quasi extrema virtutis laudabilia: vnum virtute ipsa excellentius, siue habitum virtute humana maiorem, quæ *virtus heroica* nominatur siue diuina: alterum virtute perfecta vilius, & genus quasi quoddam virtutis inchoatæ, vt Continentiam. Quibus ita pertractatis, voluptatem ac dolorem, imperfectis virtutibus ac vitiis quasi materiam adiungit. Libris autem sequentibus, octauo & nono de totius virtutis socia & consorte amicitia narrat. Denique libro decimo de felicitate ipsa, eíque adiuncta voluptate. Atque hæc pæne totius de moribus ad Nicomachum disputationis lineamenta sunt.

Noster autem à doctrinæ filo isto recessit paullisper, & sine vlla præceptorum Aristotelis offensione, virtutes intelligentiæ siue mentis reseruauit ad extremum. Neque aliter quadrare ipsi hæc in Veri siue morum ciuitate potuissent. Ciuitatis enim huiusce tres sunt partes. Prima vitæ voluptariæ, altera politicæ siue actuosæ. Tertia philosophicæ & contemplantis, quas die secundo plenissimè auctor descripsit. Nam primam siue infimam vitiis attribuit, alteram siue excelsiorem virtutibus adsignauit, & felicitati politicæ: tertiam excelsissimam, & arcem quasi vrbis munitissimam, esse voluit sedem ac regionem felicitatis philosophicæ & contemplantis. Quare non debuit intelligentiæ virtutes cum hac vltima felicitate, natura coherentes, diuellere.

Quinque autem virtutes mentis sunt, Scientia, Ars, Prudentia, Intelligentia siue habitus principiorum, & Sapientia. Harum duæ sunt mentis actuosæ, illius quæ contemplatur quidem, sed tamen refert se ad finem aliquem actionis, vt Ars & Prudentia: tres verò sunt virtutes siue habitus mentis, ita contemplantis, vt in illa ipsa veri cognitione acquiescat, non desiderans agere aliquid aut moliri, vt Scientia, Intelligentia, Sapientia. Itaque vt ex virtutibus animi siue morum felicitas politica, ita ex virtutibus mentis beatitudo philosophica siue contemplatrix efflorescit, conuenientérque vt felicitati politicæ virtutes animi, sic beatitudini philosophicæ, virtutes mentis adiungens, ordinem seruauit auctor illum, quo nihil fieri fingiue potest descriptius.

SIC FATVS SENIOR.

Indicantur nunc à philosopho Reginæ quini scalarum gradus, quibus in ipsam mentis arcem adscenditur, vbi templa virtutum quinque posita, illarum quæ superius enumeratæ sunt. Nec malè templa illa esse Poeta finxit. Nam & Lucretius lib. v. dixit,

Humanum in pectus, templáque mentis. Ac mens quidem, siue omnis regio illa animi quæ compos rationis est à sensu distat longissimè, sed propius paulò tamen abest illa pars quæ in ipsa contẽplatione respicit ad finem aliquem actionis. Atq. huiusce partis sunt virtutes Ars, & Prudentia. Remotior autẽ est à sensu pars illa mentis, quæ tota in se vertitur, & in ipsa veri cognitione terminatur: eáque habet virtutes

Scientiam, Intelligentiam, Sapientiam. Ac mentis quidem illius actuosæ finis est dilectus boni & mali: Ars enim bene efficere docet, Prudentia bene agere. Contemplatricis autem mentis extremum est, veri falsíque discretio.

ATQ. IBI TANTARVM.

Depingitur adscensus Reginæ cum Aristotele in arcem veritatis siue contemplationis: in cuius planicie incredibili quadam lætitiæ voluptate mẽtes eorum ait perfusas, propter copiam & suauitatem lucis, quam illa inter templa erumpens eisque adfulgens flama emittebat.

Flama verò illa signum est mentis veri videndi studio vehementer inflamatæ. Templa vero distincta esse ait omni varietate gemmarum, eáque dicata esse virtutibus Mentis in veri contemplationem acriter defixæ. De his templis ante commemoratum est.

PRIMVM CÆRVLEIS STRVCTVM SAPPHIRIS.

Descriptio templi Scientiæ, vndíque sapphiro inluminati. Sapphiri enim color cæruleus est, *aureis punctis lucens*, vt inquit Plinius c. IX. lib. XXXVII. Color autem cæruleus cæli est. Cæli autem stellæ, quasi aurea sapphiri puncta sunt. Itaque sapphiri materies Scientiæ templo conuenientissima est, Scientia enim cognitio est rerum cælestium, certarum, & inmortalium, siue ortus atque interitus expertium, quos eleganter Poëta noster *duo* quasi *limina* esse dixit, *anticum*, & *posticum*, per quæ res mortales quasi intrant atq. exeunt. Sic enim Aristoteles quoque ipse olim ortum & interitum esse dixit, *ὁδοὺς εἰς οὐσίαν vias in substantiam*, c. II. lib. III. Sapientiæ. Idemq. c. I. lib. II. Physicor. Γένεσις, inquit, *ὁδὸς εἰς οὐσίαν Ortus via in substantiam.*

QVINQ. PERINLVSTRES RADIANT.

Pictura quinq. cællarum templi Scientiæ. Quarum prima Scientiæ est generalis: altera Scientiæ siderum, siue Vraniæ, siue Astrologiæ: tertia Scientiæ sonorum siue Euterpæ siue Musicæ, quarta Scientiæ numerorum siue Arithmeticæ: quincta Scientiæ mensurarum siue Geometriæ.

IMAGINE DIVÆ VNIVS HAVD VNO ORE.

Ingeniosè vno verisculo alteróue Poeta se de plurimis quæst. expediuit, quæ de multitudine Sciẽtiarũ agitari solitæ in scholis. I. Vna sciẽtia an multæ? II. Si multæ illæ, tresne vt *Sapientia* quã *Metaphysicam*, vocãr, *Mathematica*, *Physica*: an verò etiam plures? Et plures si ponimus, ánne quatuor illæ sint, earũq. prima sit, de transcendentib. & vniuersalissimis, siue *prima Philosophia*, altera de intelligẽtiis & Deo, siue *Sapiẽtia*, siue *Diuina scientia*, siue *Theologia*, siue vt loqueIariter dixeris *Metaphysica*, tertia *Mathematica*, quarta *Physica*: an verò quinq. sint. Prima videlicet de Deo, siue *Diuina sciẽtia*, siue *Theologia*, altera de intelligẽtiis, siue *Postphysica*, siue vt vocãt *Metaphysica*, tertia de transcẽdentib. & vniuersalibs. siue

Prima Philoſophia, quarta *Mathematica*, quincta *Phyſica*, &c. De his omnibus ita me extricaui, vt dicerem.

Imagine Diuæ
Vnius, haud vno ſpectandam ſe exhibet ore.

FORNICIS AVRATI.

In ipſo templi fornice quinque Scientiarum cællas ambiente, locatæ ſunt ſtatuæ hominum ſcientiſſimorum. Primum Atlantis Mauritaniæ regis, qui vnus omniũ fuit Aſtrologiæ peritiſſimus. Ex quo illud poetæ fictis fabulis prodiderunt cæli axem ab eo ſuſtentari. Itaque ab indigenis *κίονα τοῦ οὐρανοῦ*, *Columnam cæli*, vocari ait Herodotus lib. IV. *cæliferum Atlantem* Virgilius adpellauit lib. VI. Æneid. Papinius *astr ferum* lib. IIX. Thebaidis. Arnobius lib. II. aduerſus genteis, *geſtatorem*, *baiulum*, *tibicinem*, *ac deſtinam cæli*. Quod autem Poeta memorat de Hercule Atlantis vicario ſiue ſubadiuua paulliſper, id aliqui ſic tradidêre: ſed aliter Apollodorus in Bibliotheca. Et benè Poeta noſter allegoriam fabellæ adpoſuit, de qua etiam Cicero Tuſcul. V. Iſacius ad Lycophronẽ, Tzerzes hiſtor. I. Chiliad. V. Cedrinus in compendio. Euſtathius in Homerum, alij. Plinius quidem Athlantem Sphæræ barbaricæ inuentorem facit: Iſidorus etiam Aſtrologiæ.

Sequitur deinde ſtatua Promethei, qui cælum & ſidera contemplatus dicitur in Caucaſo monte excelſiſſimo. Quod M. Cicero indicauit procemio lib. V. Tuſc. quæſt. & interpres Virgilij ad Eclog. VI.

ORPHEVS HINC CITHARÆ FAMA.

Sequuntur ſtatuæ muſicorum, vt Orphei, & Arionis,

HIC ALII QVOQ. MENSVRIS.

Imagines Geometrarum & Arithmeticorum Archytæ Tarentini, Euclidæ Megarenſis & Platonis.

ATQ. ALII VAGA QVID OPINIO.

Ad extremum, quaſi profanos, huiuſce templi ſepto & tanquam *ἔξω περιῤῥαντηρίων* ſummouet, opinionem quæ & incerta eſt, & veri non minus quàm falſi perſuaſio. Exeſſe item iubet rerum ſingularum cognirionem, quæ incerta etiam ipſa eſt, anceps, lubrica, obſcura, fallax, neq. digna quæ certiſſimis ſcientiæ myſteriis initietur.

DIES VICESIMVSSEPTIMVS, DE ARTE, ALTERA VIRTVTE MENTIS.

NECDVM puniceos digesserat ordine crines,
Nec thalamo veteris, quanquam pertæsa, mariti
Prodierat, remorans Phœbi Pallantias ortus,
Esse dies nobis iam visa in culmine rupis,
Luce rubescebant circum sic omnia flamma,
Inter templa micans, cæli quæ sidere lambit.
Sed Senior, iam parua mora est, albescere, dixit,
Incipiet cælum, nitidúsque referre citato
Cynthius axe diem, monet hora inuisere templum,
Læua parte situm, quod plurima turba frequentat,
Et varians, atq. omnimodas exculta per artes.
Scilicet hoc ARS diua colit celeberrima fanum.
Magnificum minus est, parili neq. luce coruscat,
Qua, sibi constituit quod dia SCIENTIA: pulchrum
Est tamen, & specie mentes oculósq. moratur.
Myrrhina materies, triplici variata colore est,
*Hinc artita * manus resecans, aut callida vertens* * artifex.
Aut minuens, opus hoc eduxit in ætheris auras.
Artifices operis tanti Dea blanda VOLVPTAS,
Adliciens trepidas tacito inuitamine mentes:
Et Dea, quæ duris deprensa in rebus EGESTAS
Inuenit, & studio varias vigil excolit ARTES.
Vtraque supposita est celsi testudine templi
Effigies. Hilari vultu prior illa renidet,
Exq. humeris Tyrio saturatam murice pallam
Demittens, oculos iucundo lumine pascit:
Altera stat mærens, & vilibus obsita pannis.
Has interposita est bicolori insignis amictu
FORS HERA. Candentes sub pectore fibula Diua
Incingit tunicas, humeros circumdata pingui
Palliolo est, pullóq. & decute. Sic HERA duplex* * detrito.
Possidet ingenium. Modo læta & candida ridet,
Blanditur, fauet ac fouet: atrox rursus, acerbè

Sæuit & insidiis aut Marte oppugnat aperto.
Plumis texta eadem, summo de fornice templi,
Pensilis est, quouis agitatáque flamine venti.
Tale & in artifices leuis atq. volatica Diua
Exhibet imperium. Nempe ARTIS *formula certa est,*
Res ipsæ fluitant. Tales dum, callida quamuis
ARS *subigens fingit, formæque imitamine vestit,*
Falli Diua potest, non quod Dea cæspitet ipsa,
Sed quia FORS *inimica nocens, interuenit* ARTI,
Et facit artifici res vt parere recusent.
At bene habet, cum FORS *atque* ARS *miscentur in vnum.*
Interiore nitent septem circum æde sacella,
Signis quæque suis variantia. BELLICA *primo*
Ars militaris. ARS *posita est, graue Martis opus tractare superbi*
Impigra, & infestos defendere finibus hostes.
Poetica. *Alterius domina est, Dea docta* POETICA, *lauri*
Circumeunt hederæque caput. Stat proximus illi
MAEONIDES, *oculis captus, sed lumine mentis*
Lynceus, & Dominæ gremio innutritus in ipso.
Nec longè MARO VIRGILIVS, *Latialis Homerus,*
Pascua, rura canens, & prælia semper: amores
Transcribens aliis, quibus hæc mysteria cordi,
Quos Veneri seruire iuuat, Veneriſq. puello,
Inq. leues cytharæ studium consumere curas,
Et dictare legat quæ carmina miles in armis
Matris ACIDALIÆ, *medio non agmine miles*
Martius, Iliadas velut inter classica legit
Magnus ALEXANDER, *comite ac duce maxima vate*
Bella gerens, & voce animans sua signa Poetæ.
Oratoria. *Tertia dehinc* FANDI *prægestit* COPIA, *flores*
Spargere in auriculas varios, atque influere vdo
Mentes, dulciloquæ medicatas verbere linguæ.
Medicina *Vicini* MEDICINA *potens est liminis,* HERBIS,
Siue opus est VERBIS, *varios sanare dolores,*
Largiriq. nouas doctissima GRAMINE *vires,*
CARMINE *seu mauis, & vitæ reddere vitam.*
Architectura. ARS *quoque templa struens superis immania Diuis,*
Regibus ædificans visenda palatia magnis,
* Vitruuius c.1. lib.1. *Priuatiſq. lares ponens, & ciuica tecta,*
*Callam habet, ac multas * vna in se continet artes.*
Mirifica hic etiam CRITICA *est Dea, Sancta Dearum* *

* Q. Ennius ex Homerico illo δῖα θεάων. Idemq. apud Probum *Pulchra Dearum.*

Atq. illi comes, vt satagens ancillula, primas Gramma-tica & Gramma-tistica.
Garrula litterulas, verbóq. ac verbere sæua
Quæ docet in triuiis, Domina & violentior ipsa.
Quamuis & Domina ipsa nimis violenta, superbè
Quidlibet in quosuis audens, mutilare poëtas,
Commaculare notis & inurere Rhetoras, ipsis
Auriculam historicis peruellere, conscia quamuis
Cana Fides illis, aui & matura Vetustas.
Quosq. sinu fouet in vapido semel orsa clientes,
Artibus auersos aliis facit, ardua templi
Limina nec patitur penetrare, SCIENTIA sedem
Dia vbi constituit: vanis certare sed vrget
Laudibus inter se, tumidi dum flatibus vtres
Vlterius nihil inueniant, quo crescere possint.
Sic partitus iners Musarum regna triumuir,
Atq. aliquis factus subito est, auis vnica Phœnix,
Graculus ante leuis, pennáque inglorius atra,
Ales, quem cupidè mutatis addere formis
Naso poëta velit, sacróque intexere peplo.
Est alius, qui non homo sed Deus, inclutus Heros
Sol præ quo nebula ipse: Deûm certissima proles,
Vltima, sed meritis prima est, quæ tradere terris
Semina, & arboreas vlmis adiungere vites, Agricul-tura. Pastio.
Aut palis humiles, pecoríq. impendere curam
Atq. apibus docet. Hanc etiam nunc lumine virgo
De cælis Astræa videt placido: ínque paternos
Cùm vitiis offensa lares migraret, in huius
Restitit ante diu tecto, dum se induit alis.
Sed satis hæc: iam NOX venit aduersaria SOLI
Et metus est, versus radio sine Solis INERTES
Ne faciam, mea dum varias it Musa per ARTES.

NECDVM PVNICEOS.

TAM excellens species pulchritudinis est in veri contemplatione, vt nullius hanc oratio satis explicare possit. Noster hic tamen poetico penicillo proximè ad similitudinem eius aliquã accessit. Nam solerter ita exorsus est. Tantum crepusculo ipso in arce illa contemplationis, lucem fuisse, vt media diei pars, siue vt Plato loquitur in Phædone, σχεδὸν ἡ μεσημβρία ἡ καλουμένη σταθερά, esse videretur. Tantam verò lucem adfulsisse ait ex flamma illa mentis philosophicæ siue contem-



A. Templum ARTIS ex materie myrrhina, siue lapide myrrhino.

B. Septem artium cællæ. ARTIS MILITARIS, POETICAE, RHETORICAE, MEDICINAE, ARCHITECTVRAE, GRAMMATICAE, AGRICVLTVRAE.

C. FORTVNA.

D. VOLVPTAS.

E. EGESTAS. Sed FORTVNAE, VOLVPTATIS & EGESTATIS effigies pictor non rectissimè expressit, neque designauit cællas septem artium, quæ in templi circuitu.

plantis, in media illa templorum planirie. Itaque hac prælucente Aristoteles cum Regina pergit nunc ad templum Artis, quod minus firmiter fundatum esse ait, minúsque præclarum illo Scientiæ: sed ipsum tamen per se pulcherrimum: Nam Scientia quidem rerum est, quæ necessariæ vniuersæq; sint, summeq; constantes: Artis vero materia mutabilis, siue vt loquitur Cæcilius, *profluuia est*, quemadmodum etiam illa Prudentiæ. Nam vtráque rectæ rationis admonitu in rebus singulis exercetur: illa in efficiendis, hæc in agendis. Sed ipsæ tamen per se generatim ac sine materia singulari siue ratione formæ suæ, expertes sunt mutationis & inconstantiæ. D. Thomas I. II. Quæst LVII. Art. III.

SCILICET HOC ARS DIVA COLIT.

Templum artis depingit substructum materie myrrhina cuius pretiũ aliquanto est vilius quàm sapphiri, ingens tamen: & nitor autem eius veriùs, quàm splendor aliquis. Ingenioséq. hoc Poëta commentus est. Sapphiri color cæruleus conueniens Scientiæ: myrrhini color variantibus maculis est, itaque artis similis, quæ & ipsa variare solita propter varietatem materiæ. Operæpretiũ est audire. C. Plinij ex c. II. lib. XXXVII. verba de myrrhinis. *Splendor his*, inquit, *sine viribus, nitórque veriùs quàm splendor. Sed in pretio varietas colorum, circumagentib. se maculis in purpuram candorémq. & tertium ex vtroq. ignescentem, velut per transitum coloris purpura rubescente, aut lacte condescente*, &c. Hinc illud Martialis lib. X. epigr. XXC. *Maculosæ pocula myrrhæ*. De ortu autem myrrhinorum, aliqui cótra Plinium imperitè disputant, sed hoc agere nunc velle, aliud agere esset. Triplicíq. artificio id templum exædificatũ esse. Quippe ars *diffingendis* siue aliter fingẽdis, aut ordine alio disponendis materiæ partib. aut in augẽda materia minuendáue exercetur. De hoc artiũ discrimine, nimirũ eas in materiæ aut mutatione versari, aut additione, aut deminutione, aut compositione, aut appositione, aut adglutinatione, aut mixtura simul & adpositione, &c. exsertim Alexander Aphrodis. Problem. XLIX. lib. I.

ARTIFICES OPERIS TANTI.

In adyto ipso templi Artis, effictæ statuæ Delectationis siue Voluptatis, & Inopiæ: quarum illa quasi blandiendo inducit: hæc vi & necessitate cogit homines ad industriam & artis tractationem. Media vero inter has imago Fortunæ, quæ consors & socia est Artis. Nam vtráque in rebus singulis est. Itaque vt geminæ germanæ sorores vicissim sese amplexari videntur: veréque Aristænetus in epistolis, *Artem egere Fortuna, & Fortunam Artis industria exornari.* τέχναι, inquit, πᾶσαι προσδέονται τύχης, καὶ τύχη διακοσμεῖται ταῖς ἐπιστήμαις, &c. Quam ex Agathonis Poëtæ versu γνώμην imitatus est, quẽ Aristoteles profert c. IV. lib. VI. ad Nic. Neq. dissimiliter de mixtura virtutis & artis. Valerius c. III. lib. II. agens de P. Rutilio.

INTERIORE NITENT.

Septem in artis templo sacella constituit artium singularum. Ac primum Arti militari adsignauit: alterum Arti Poëticæ: tertium Rhetoricæ: quartum Medicinæ: quinctum Architecturæ: sextum Grammaticæ: septimum Agriculturæ.

ALTERIVS DOMINA EST.

Transit Aristoteles à Marris & rei bellicæ sacello ad sacelli alterius descriptionem, videlicet Artis Poeticæ, in quo statua Homeri & Virgilij: factáque digressione opportuna, dignum hoc studium esse ait, in quo excellentibus à natura præditi ingeniis homines, & *Musarum*, vt Varro loquitur, *Pompilij versentur.* Hanc enim artem illam esse, quæ diuorum & hominum bene de re communi priuaráque merentium laudibus adhibenda sit, non autem flagitiosis cantilenis, & Veneris vocabulis, quibus tanquam fescenninis aures, non nouæ nuptæ, sed vt Varro loquitur, *acerbæ virginis redurentur.* Laudabilis quidem Persarum mos de quo narrat Herodotus lib. I. & Nicolaus de moribus gentium apud Stobæum. Serm. CXLV. Ὁκόσα σφισὶ ποιέειν οὐκ ἔξεστι, ταῦτα οὐδὲ λέγειν ἔξεστι. *Quæcunque illis facere nefas, ea neque dicere fas est.* Eiusdemque modi est illud Sophoclis præceptum, apud Stobæum.

Ἀλλ' οὐ γὰρ αὐδᾶν ἔστ' ἃ μηδὲ δρᾶν καλόν.
Quæ turpe fieri est, ea profarier nefas.

HERBIS, SIVE OPVS EST VERBIS.

Paragrammatissimi, *Herbis & verbis*: *gramine carmine.* Sic Marcellus Empiricus Carmine ad Theodosium A.

Gramine seu malis ægro præstare medelam
Carmine seu potius, &c.

Et Gaufridus Abbas Altæcumbæ in vita S. Petri Tarentasij. *Pocula verbis & herbis infecta*, &c. Duplex nempe Medicina olim, *Rationabilis* vna: altera *Physica.* Et duo remediorum genera. *Rationabilia*, herbis, siue gramine: & *Physica*, verbis siue carmine. Passimque ita diuidit Marcellus Empiricus, comes officiorum Theodosij. Tangit quoq. D. Augustinus hoc discrimen c.xx. lib. II. de doctrina Christiana, sapientérq. ostendit, quo astu talia remedia vocarint olim *Physica*, & disserit, hanc medicinæ partem rectè, non solum ab Ecclesia, sed à medicis quoque ipsis condemnatam esse.

DIES VICESIMVS OCTAVVS DE PRVDENTIA.

TECTA rubescebant orientis lumine Phœbi,
Humanæ dux regnat vbi PRVDENTIA vitæ
Et domina. Hoc Senior templum prospexit, & inde
Orsus præfari breuiter. Quàm candidus iste,
Dixit, in orbe dies oritur, quàm Phœbus amico
Ore iacit radios terris; Nitidissimus alti
Rex cœli merito meus audit Cynthius, omnes
Vnus sic hilarans. Sed non minus ille coruscum
Sol, facit humano sub pectore lumen honesti,
Mores qui regere, & rectæ rationis habenis
Aurigare monet, certas PRVDENTIA metas
Rebus in humanis statuens, quas flectere nostræ
Circum opus est vitæ variata negotia: rectas
Inquirens quoque cauta vias, quibus itur in arcem
Lumine quæ semper rutilat perfusa beato.
Ignis ab hoc ille est veluti scintillula Sole,
Vnde suis vitam pius inspirare sigillis
Surripiens potuit, sollerti corde Prometheus.
Fabella est, memorant quod inani carmine vates,
E curru rapuisse faces Hyperione nati.
Callidus hoc faceret quamuis, & vulpio furtum
Iapeto genitus, SOLI? videt omnia SOLVS
Terris quæq; agitant homines, & in æthere Diui
Cynthius, atque audit, neque Solem est fallere cuiquam.
Vita hominis RATIO est, atque hoc velut igne Prometheus
Inspirans homines, tunc inter lustra ferarum
Montiuagos, similésq. feris, toruúmque tuentes
Tanquam vrsos bipedes, animauit lumine rectæ
Mentis, & humanæ docuit commercia vitæ.
Scilicet à brutis homines, seclísq. ferinis,
Separat hæc virtus animi PRVDENTIA recti.
1. Fluctibus illa docet mediis educere vitæ
Nostræ, animi cymbam, & tuta subducere terra,
Remigio nixos virtutum, collibus infra

Quarum tecta sua sunt quaq; nitentia luce.
II. *Hac eadem vita cum stant placida aequora ventis,*
Praecipere instantes animo iubet ante procellas.
III. *Cúmq. mari desaeuit hiems, crebérq. procellis*
Africus, & densi veniunt ad littora fluctus,
Illa monet constare animo, clauúmq. tenere.
IV. *Blanda voluptatum iubet inuitamina, tanquam*
Carmina Sirenum, scopulis qua figere acutis
Tentant, auriculis surdis audire. Serenat
V. *Nubila tristitia, tempestatésq. doloris,*
Posse venire hiemes quoniam praesciuerat illas.
VI. *Quaque colunt homines fluxa miracula* FORTIS
Regna & opes, dulces grata de coniuge puppos:
Quaue solet natura parens impendere, vires,
Egregio speciem florentem corpore, magnum
Ingenium, seruat rationis luce, vel auget.
VII. *Strenua se mersans eadem ciuilibus vndis*
Purior emergit, varij commercia vultus
IIX. *Consilio aurigans, rerúmque perita bonarum*
Sistere profluuium, vario velut Euripus aestu
Qua ferri solita. Nec non tamen hac quoq. FORTIS
Excipit interdum vesana corpore tela,
Sed minus atq. alia, quas inferiore locaui
Vrbe, suo priui seclusas limine tecti:
IX. *Lumine vt accenso quas omnes dirigit, vna,*
X. *Omnibus vna in concilio est. Vbi rectus honesti,*
Varus vbi vitij sit limes docta monere:
XI. *Qua bona qua mala sint, quo distent candida nigris.*
Vtque malis leuiora, bonis meliora praeoptes:
XII. *Induat & vita vt varios humana colores.*
Laudibus his animum cumulat celeberrima Virtus,
Limina nunc cuius radio perfusa virente
Lustrare est animus. Viden' vt, Regina, topazio
Exstructus paries circum est, oculósq. relucens
Adlicit intrantum viridi reficítque nitore?
Quinque micat circum callis penetrale. Cuíq.
Trina sua est lampas, vario discrimine lucis:
Cuíq. sua effigies nullo discrimine, cauta
Palladis, & comitum sacris operata Minerua
Stat iuxtim manus, atque suis variata figuris
Qualibet. Ha calla referunt, PRVDENTIA *virtus*

Quàm facie sit multiplici. PRVDENTIA *prima est* Prudẽtia legitima.
Quæ leges statuit populis ac gentibus æquas.
Hanc referens velut occipiti est oculata Mineruæ
Effigies, bifrons ceu Ianus. Fronte LYCVRGVM
Anteriore videt Dea, posteriore SOLONEM.
Alterius cellæ domina est PRVDENTIA SANIS Prudẽtia deliberatiua.
INCLYTA CONSILIIS, *rebus Dea callida vitæ*
*Incertis certare * vias, & tangere metam.* *certas facere.
Atq. ea consiliis comites sibi legit amicos,
Vt PERICLEM, *& qui olim specioso nomine Iusti*
Clarus ARISTIDES, *ingratis lumen Athenis.*
Hinc DEA *quæ* LITES DIRIMIT *dans iura, foróq.* Prudẽtia iudicialis.
Præsidet. Adsistit caperata fronte seuerus
MINOS & RHADAMANTHVS, *humo sua lumina figens*
Velatísq. toga manibus, ne munera captent.
Quarta MINERVA DOMVM *curat, priuósq. penates,* Prudẽtia domestica.
Coniugiúmq. fouet gratum, paruósq. Quirites
Sufficit, & bene quæsitis sua regna tuetur.
Vltima CAVTA SIBI SOLI *sapiensq.* MINERVA *est,*
Et citharista canit velut olim Aspendius, intus Prudẽtia singularis
Omnia, nil curans alij sudent, pereántue
Algu, dum sibi proueniant satis omnia rectè.
Omnia quæ simulacra vides sub fornice templi,
Sunt tristíque supercilio, faciéque senili,
Nulla iuuentutis geniali fronte renident.
In iuuenum, præcox nisi quæ est, PRVDENTIA *nunquam*
Pectore constituit sedes. Temerarius illos
Error agit, neque longa dies, quæsitáque multis
Vsibus, actores rerum experientia fecit.
Pensilis à cella lychnus laquearibus aureis
Tergeminus, claréq. micans cuiusque, fidele
Vsque satellitium facit, & comitatur euntem
Hunc animi Solem, veluti sua sidera Phœbum.
CONSILII *prima est* BONITAS, *scitissima rectas* εὐβουλία.
Vestigare vias, quibus in portum itur honesti,
Altera quæ meditans bera quid PRVDENTIA *rectè* σύνεσις.
Imperet, atq. illi quæ sint contraria SENTIT.
Tertia consiliis SENTENTIA, *si quid acerbi est* Γνώμη.
Lenit, & in melius durè consulta retractat,
Vt locus, aut tempus varians, personáue poscit.
Porro etiam Dominæ hoc templum quæ possidet, vna Sollertia.

Est uterina soror simul & cognominis, illa
Quam NATVRA *parens, sine* CONSVETVDINE *&* VSV
Tanquam patre parit, SOLLERTIA. *Lumen & illa*
Menti aliquam præfert, sed quo duce, plurimus error
Obiicitur, ni dia suam PRVDENTIA *lucem*
Iunxerit. Haud secus ac Luna sub luce maligna
Est iter, aut dubiæ sub prima crepuscula lucis,
Suspenso pede, & ambages metuente viarum,
Et lapsus faciles, oculisq. horrentibus umbras:
Ut nostros iam Noctis equi caligine terrent
Vicina picei, postquam sua lumina Titan,
Vertit ad Hesperium sero iam vespere, littus.

TECTA RVBESCEBANT.

CERTAT in Veri ciuitate, pulchritudine dies diei, ac sequens priore lætior semper inlucescit, vt hodiernus Prudentiæ dies, quem auctor ipse concinnè sic ingressus est describere, vt à poetarum de Prometheo fabula exorsus, eam vere sapientérque ad Prudentiæ laudem accommodarit. Neque enim illum qui oculis cernitur, sed Prudentiæ solem fuisse ait, de cuius radio sumpserit igniculum Prometheus olim, vt hominis formatam è luto imaginem animaret, ipsóque id Promethei nomine declarari ait, nam esse ἀπὸ τῆς προμηθείας quæ Latinè prouidentia siue prudentia est, radius nimirum ipse & quasi acies animi humani, qua qui orbati sunt, ij persimiles Cyclopis sunt illius, qui inducitur ab Euripide, cùm Vlyxes oculum ei effodisset, velle quidem corripere Vlyxem, sed in scopulum incurrere amens ac lamentari. Sic apud interpretem Apollonij Argonaut. lib. II. Theophrastus censet, Prometheum fuisse virum sapientem, qui primus generi humano impertitus philosophiam: atque hinc fabellam ortam de igne hominibus opera eius dato. Hinc Prometheus *callidus* apud Horat. Oda XIIX, lib. II. *Sollerti corde Prometheus* apud Catull. epith. Pelei. Et ποικίλος αἰολόμητις. Hesiodo est, à versuta & varia mente. In hanc sententiam iucundè Hyginus in fabellis suis c. CCXX. narrauit *Curam* Deam fuisse quæ prima finxerit hominem. Et Anaxagoræ discipuli Prometheum esse dixerunt νοῦν siue mentem, vt posuit Georgius Cedrinus in compendio historiæ. De hominibus autem ex luto fictis à Prometheo fabella, est apud Æschylum in Prometheo. Properr. eleg. V. lib. III. Horat. Oda XVI. lib. I. Ouid. Metamorph. lib. I. Hesiodum Dier. & Oper. lib. I. & in Theogonia. Apollodor. Biblioth. lib. I. Cic. Tuscul. V. Lucian. in libro. Prometheus es in dictis. Seruium ad eclog. VI. Claudian. alios.



A. Templum PRVDENTIÆ, ſtructum gemma topazio.
B. Cælla PRVDENTIAE legitimæ, ſiue leges ferentis in Republ.
C. PRVDENTIA deliberatiua, quæ Rempubl. regit conſilio.
D. PRVDENTIA Iudicialis, ſiue res iudicans.
E. PRVDENTIA Domeſtica, ſiue in re familiari.
F. PRVDENTIA ſingularis ſiue vt vocant aliqui Monaſtica. In qualibet cælla tres lampades. Sed pictor parum aptè, modo tres, modo plures paucioréſue expreſſit: vt neque ſat rectè in cælla Prudentiæ legitimæ Mineruam quaſi habitu virili, vnáq. fronte pinxit, non vt auctor voluit, bifrontem.

FLVCTIBVS ILLA DOCET.

Pergit enumerare aliqua Prudentiæ officia,& eleganti comparatione vim Prudentiæ declarat. Hac ſcilicet vna, vitæ noſtræ quaſi nauiculam gubernari, & feliciter in portum adpelli. Perinde vt Titinnius olim poeta comicus de ſapientia dixit,

Sapientiâ gubernator nauim torquet,haud Valentiâ.

Et adiungit Prudentiam moderatricem eſſe Fortunæ. Et verò ſapientiſſimi homines Fortunam aliud nihil eſſe quam prudentiæ & conſilij penuriam,totúmque hoc nomen eſſe inane ſuſpicati ſunt. Ex quo illud Appij Cæci in carminibus apud Salluſtium orat.I.de Rep.ord. *Fabrum eſſe ſuæ quemque fortunæ.* Ex Appio deinde Plautus Trinum. *Nam ſapiens quidem pol ipſe,fingit fortunam ſibi.* Ex eodem Cornel. Nepos in Attico. *Sui cuique mores,fingunt fortunam.* Ex ſapiente Poeta idem Tullius Parad. v. vbi ſapiens Poeta ille Appius,vt arbitrati alij,vt ego,Plautus. Eiuſdem modi & illud L.Senecæ. *Valentior omni fortuna eſt animus*,&c. Neq. diſſimiliter Satyricus. *Nullum numen abeſt,ſi ſit Prudentia:ſed nos,*

Te facimus Fortuna Deam, cæloque locamus.

Bene ſic locus ille apud Lactant.c.XXIX.lib.III. Ab eadem verò mente etiam illa Epicuri. κυρία δόξα. βραχέα σοφῷ τύχη παρεμπίπτει. Quod interpretatus Cicero. *Fortuna exigua interuenit ſapienti.* lib.I.& II.de finibus. Profert & L.Seneca cap.XV.lib.II.de Tranquill. & Plutarch. lib. de Fortuna.

VIDEN' VT REGINA TOPAZIO.

Deſcriptio templi Prudentiæ pulcherrima. Primum parietes eius topazio gemma totos conſtare,neq. id temerè. Nam *topazin* verbo, Troglodytarum lingua ſignificationem *quærendi* ſubiectam eſſe, inquit Iuba rex apud Plinium c.IIX.lib.XXXVII. Proprium autem eſt munus officiúmque Prudentiæ, rationes quærere ac peruestigare conducentes ad felicitatem politicam ſiue actuoſam, vt iam explicatum eſt die tertio. Cum autem perquirit has vias ſiue rationes Prudentia, delectum atque diſcrimen adhibet,ſalutaria atque præclara ſecernens à peſtiferis ac nocituris,totáque in vſu,& vita communi, & rebus iis quæ deliberationē habent verſatur. Deinde templum totum auctor conluſtrari ait lucernis quindecim,à Prudentiæ ſole accenſis.

QVINQVE MICAT CÆLLIS PENETRALE.

Pingere pergit interiora templi,& quaſi adyta,quæ diſtincta eſſe ait, quinque cællis,in quibus omnibus effigies ſit Mineruæ, ſed alia atque alia ſpecie & ornatu. Imaginibus autem illis declarari quinque ſpecies Prudentiæ. Quarum prima eſt *Legitima*, ſiue illa quæ leges ac iura ciuitatibus deſcribit, quámque νομοθετικὴν Ariſtoteles vocauit, eandémque ἀρχιτεκτονικὴν quaſi *ducem vitæ ac magiſtram officiorum.* Atque hæc principis & legiſlatoris prudentia eſt. Altera eſt Deliberatiua ſiue βουλευτικὴ,

quæ

quæ ſpeciatim de ſingulis reipublicæ negotiis deliberationem habet, qualis prudentia eſt conſiliarij. Tertia eſt iudicialis ſiue δικαςική, quæ legibus, generatim deſcriptis vtitur, ceu normis ſingularum in ciuitate actionum, eáque prudentia eſt iudicis. Quarta eſt Prudentia domeſtica οἰκονομική, illa quæ rei familiari ac domeſticæ prouidet, quæq. coniuges, liberos, & familiã tuetur: eáq. patris familias prudentia eſt. Quinċta eſt prudentia ſingularis, ſiue vt D. Thomas loquitur, *Monaſtica*, qua ſibi quiſque conſulit ac proſpicit, eáq. hominis induſtrij prudentia eſt, quaſi intus omnia ſtruentis, & intus canentis, vt Aſpendius olim citharista.

Ad ſummam igitur quinque ſpecies prudentiæ ſunt, *Legitima, Deliberatiua, Iudicialis, Domeſtica, Singularis.*

PRVDENTIA PRIMA EST.

Prima ſpecies Prudentiæ *Legitima*, cui tanquam ſatellites adiunxit Lycurgum & Solonem. Horum ille *Rhetris* ſuis, ſiue inſtitutis, Lacedæmoniorum ciuitatem optimè temperauit: hic autem leges Athenienſibus exaratas in tabellis dedit, quæ dictæ fuerunt *Axones.* Ex gemino autem illo quaſi fonte Romanum ius ciuile hauſtum putant, ſed alij quoque illius multi fontes. Nam ex omnium pene iis temporibus bene inſtitutarum ſiue εὐνομουμένων ciuitatum legibus & iuſſis collectum fuiſſe illi ſciunt, qui non prorſus ἀνιςόρητοι.

ALTERIVS CÆLLÆ.

Altera ſpecies Prudentiæ, *Deliberatiua*, ſtipata Pericle, Ariſtide, hominibus in Athenienſium ciuitatis adminiſtratione olim ad conſilia prudentiſſimis.

HINC DEA QVÆ LITES.

Tertia Prudentiæ ſpecies *Iudicialis*, comitata Minoë, Rhadamantho, qui ſumma in rebus iudicandis æquitate fuerunt, ita vt Iouis diuino ſemine ſuſcepti viderentur, eóſque auctor perſimiles inducit ſtatuis Thebanis, de quibus commemoratum eſt die XIX.

QVARTA MINERVA.

Quartum genus Prudentiæ *Domeſticum*, cui adiuncti agricolæ & homines ruſticani. Hæc enim augendæ rei familiaris ſiue χρηματιςικῆς ratio integerrima eſt.

VLTIMA CAVTA SIBI SOLI.

Quincta Prudentia eſt *Singularis*, quam perurbanè ſolam finxit, ac nihil habentem ſodalitij aut clientelæ, præter ſacculum ſuum & arcam. Eſt enim hæc illa Prudentia, qua præditi homines, quaſi Epicurei ſapientes, *omnia ſua cauſa faciunt*, eámque vulgus imperitorum arbitratur ſummam eſſe Prudentiam. At contra quidem diſputauit

iam olim Aristoteles c.IIX.lib.VI.ad Nic. & D.Thomas II.II. Quæst. VII. Artic.x. sibi sapere, genus quidem Prudentiæ vnum esse, non autem optimum, aut præ cæteris expetendum. Sed vulgi opinio mutari vix potest, ad eámque ingeniosi etiam sæpe tanquam ad Sirenarum scopulum aliquem adherescunt.

His autem prudentiæ generibus, D. Thomas Prudentiam quoque adiunxit *Militarem*. Sed verum si quætimus, ea partim ad *Legitimam*, partim ad *Deliberatiuam* & *Iudicialem* referri potest. Nam & pacis & belli sunt leges, ac Prudentia *Legitima*, temporis vtriusque est domina & moderatrix: & in vtróque deliberationes quædam & iudicia sint necesse est. Itaque vt Iustitia, sic Prudentia, & pacis & belli est. ·λ.

OMNIA QVAE SIMVLACRA VIDES.

Ait in templo Prudentiæ statuam nullam esse iuuenilem sed omnes seniles, quoniam Prudentiæ & consilij magnitudo senum propria sit, aut ætatis maturæ. Vsu enim rerum, experientiáque nititur, quæ nisi temporis diuturnitate, & ætate matura vel ingrauescente non ferè existit. Eadémque causa est cur iuuenis aut puer geometriæ, aliarúmq. rationum mathematicarum sciens euadere possit, Physicæ verò siue naturalis philosophiæ, & Sapientiæ siue philosophiæ primæ, non item: videlicet, quia in Physicarum, & earum quæ post physica, philosophiarum principiis experientia opus est & vsu: in mathematicis non item quia principia earum à rebus abstracta sunt c.IIX.lib.VI.ad Nic.

PENSILIS A CAELLA LYCHNVS.

Singulas prudentiæ cællas tribus lucernis, tanquam stellis conlucere atque inlustrari ait, quibus declarentur illæ tres virtutes quasi administræ & comites Prudentiæ. Primùm *Bonitas consilij*, siue εὐβουλία siue vt alij loquuntur, *bona consultatio*. Deinde *Celeritas intelligendi* ea quæ bene consulta fuerint, siue σύνεσις. Postremo. *Sententia* siue Γνώμη.

Ac Bonitas quidem consilij est, qua excogitantur honestæ rationes, quibus ad finem laudabilem & quidem opportunè siue nō alieno tempore peruenitur. Eáque differt à prudentia, non ipso consilio siue deliberatione, sed vi præcipiendi. Nam bona consultatio boni consilij inuentio est: Prudentiæ vero sunt partes non modo consulere, verum etiam cōsulta imperare atque exsequi. Intelligendi autem celeritas siue σύνεσις ea est quæ de rebus à Prudentia imperatis existimat, siue aut conducibilia esse illa sentit, aut quæ his contraria sint, videt esse inutilia vel perniciosa. Prudentia enim, quasi doctor est præcipiens: celeritas intelligendi siue σύνεσις tanquam discipulus, præcepta siue dictata intelligens & laudans. Sententia denique siue γνώμη illa est quæ consulta interpretatur benignius ac lenius, eáque temperat pro varietate, temporum, locorum, personarum: estque talis sententia in deliberatione, qualis æquitas in iure.

Ad summum igitur, bona consultatio, ad inueniendum refertur:

intelligendi celeritas siue συνέσις est iudicij : sententia est æquitatis.

Bona vero consultatio , celeritas intelligendi, & sententia , ecquid partes prudentiæ sint, præclarè D. Thomas enucleauit, II. II. Quæst. XLIIX. Partes nimirum prudentiæ tanquam totius integri esse, *memoriam, intelligentiam, docilitatem, solertiam, rationem, prouidentiam, circumspectionem, & cautionem.* Partes autem prudentiæ tanquam generis siue species quinque illas posuit, de quibus iam dictum est, *Legitimam, deliberatiuam, iudicialem, domesticam, & singularem,* siue solitariam. Partes verò prudentiæ *potentiales*, vt ipse loquitur, id est quasi adiumenta quædam esse, *bonitatem consilij, celeritatem existimandi de consilio, & sententiam,* siue æquitatem in existimando.

PORRO ETIAM DOMINAE.

Adiungit de Prudentia naturali quæ dicitur ab Aristotele δεινότης c. XIII. lib. VI. ad Nicomach. quam interpretari aliqui *Sollertiam*, vt Dionys. Lambinus, parum aptè, vt ἔτυμον ipsum huiusce nominis inspectanti, facilè patescet. Et vero iis auctorum locis quæ ille profert narurale vestigium artis declaratur magis, quàm prudentiæ. Ego *acumen* dicere malim. Hoc enim à natura est, & oculi instar habet, quemadmodum philosopho c. V. lib. III. ad Nicomach. εὐφυΐα est, ὥσπερ ὄψις. Et c. XIII. lib. VI. δεινότης quasi ὄψις. Δεινότης nempe est εὐφυΐα comparatione ad Prudentiæ virtutem. Εὐφυΐα nempe est duplex , videlicet practica vna, quæ vt dixi tractatur compararione ad Prudentiæ virtutem: altera theorica, de qua philosophus c. vlt. lib. IIX. Top. & fine lib. prioris de Demonstr. Practica in boni, theorica in veri electione versatur , vt Topicis loco eodem, ἡ κατ' ἀλήθειαν εὐφυΐα, τὸ δύνασθαι καλῶς ἑλέσθαι τ' ἀληθὲς, καὶ φυγεῖν τὸ ψεῦδος. *Bonitas naturæ ad veritatis finem, est posse verum eligere, & fugere falsum,* &c. Atque huiusmodi εὐφυΐα est duplex ἀγχίνοια, siue facultas celeriter inueniendi medij siue argumenti : & εὐστοχία , siue facultas , facili coniectura adsequendi quid sequatur ex medio siue argumenro , siue conclusionem, lib. I. de Demonst. loco eod. Eaque lumen quidem suum præfert animis, est enim Δεινότης, *facultas videndi*, ἐκ τίνων ἂν ἄκρον γένοιτο τῆς πρακτικῆς *Quemadmodum quicq. in rebus agendis fieri possit.* Magnis moralibus c. XXXV. lib. I. c. XII. lib. VI. ad Nicomach. sed quo lucente , nihilominus aberrare possint à semita felicitatis , nisi prudentiæ vsus consuetudóque accesserit. Nam facultate quidem aliqua naturali alios aliis magis inclinari ad virtutem, sed talem felicitatis hanc viam esse,

Quale per incertam lunam sub luce maligna,
Est iter in siluis.

Benéque philosophus c. XII. lib. VI. ad Nicom. qualis scopus δεινότητος: talis & ipsa. Laudabili enim fine proposito, laudabilis & ipsa est : malus autem si finis & scopus, iam callidiras illa, & πανουργία est.

At vero prudentiæ lux nunquam fallit, nunquam est sine comitatu

omnium virtutum, vt quidem verè Iuuenalis in satyra dixerit.

Nullum numen abest si sit Prudentia.

Neque obliuione vnquam prudentia deleri potest, vt artes. Nam artis quidem exercitationi sæpe locus non est: at nulla vitæ pars vacare potest prudentia. Itaque conuenienter hunc vitæ nostræ Solem adpellauit.

DIES VICESIMVSNONVS,

DE INTELLIGENTIA SIVE MENTE, SIVE NOTITIA PRINCIPIORVM.

DIGRESSVS Sapiens ANIMI PRVDENTIS ab æde,
Adspiciénsq. nouum radioso scandere Solem
Orbe. Quis hoc Phœbi dixit, iubar inspicit aureum,
Vt neque conniuens, aliò neque pupula sese
Auertens oculi maneat defixa, nec hilum
Perpetua incipiant mergi caligine noctis?
Aut quæ mens animi potis est vim discere, fontis
Quo fluit adsiduè hic radiorum lucidus amnis?
Sed minus & mentem facile est comprendere magnam,
Quæ maria & terras implet, cælúmque profundum,
Cuius in omnimodis lucet sapientia rerum
Vultibus, & mittens quasi de se prædicat ipsa
Voces adsiduè, inq. sui mortalia secla
Notitiam tacito laciens hortamine ducit.
Ac neque per causam fas cuiquam scire, latentes
Notitias Diuæ, cuius nunc visere templum
Ingredior. Vide sis vt circum quáque renidet
De nitido structum solidóq. adamante, sed ipsa
Cærula conuexi resplendet imagine cæli
Testudo, & vario flamarum sidere, tota
Interstincta micat: media regione meantis
Effigies Phœbi rutilat, Phœbíq. sororis,
Et spatia Erronum variè distantia quinq.
* è cælo. *Vnde * trahit primæ variarum semina rerum*
Notitiæ mens nostra, quibus dotata, vigere

Pergit & in causas inquirere, & omnia porro
Per causas ea scire, parens Natura patere
Quæ voluit, cæco gremij neque cauta recessu
Abdidit, & multa circum caligine cinxit.
Templi etiam tectum lorica peristylos ambit.
Imposita effigies, defixis lumen Olympi
Adspiciunt oculis, terræq; negocia spernunt.
Interiùs mediis templi penetralibus aurea
Effigie vates Rhodopeius enitet, olim
Primula qui cecinit mundi primordia, Diuûm
Cultus instituit, mentesq. cupidine cæli,
*Bellutas * priùs, incendit, nec originis altæ* * Belluarũ similes.
Inmemores, passus turpi languere veterno.
*Et statuæ basis hoc inscripta est carmine plana,** *τὸ πλάτος τῆς βάσεως. Strabo.
Vna quod vt comitum Reginæ dicere iussa est,
Explicuit tinctam mellis dulcedine vocem,
Insimul & citharæ percurrens pectine fila.

CANTICVM.

Terra quid vestras, Homines, moratur
Inscij mentes, pedibus terenda?
Cur leues cordi est agitare cæco
Pectore curas?

Montis inuitant iuga vos beati,
Flatibus nullis agitata venti,
Quæq; nec velant nebulæ, nec Austri
Verberat imber.

Sed QVIES semper Dea læta, summæ
Est potens rupis, faciémque cæli &
Cordis humani varios recessus,
Fronte serenat.

Ipsa vos nutu Dea blandientis
Incitat vultus, faciléque spondet
Rupis adscensus, propriúmq. celsi
Limen Olympi.

Ite, nec terra trepidos retardet
Aura conatus, quid amica terra est
Aura, si mentes dociles Olympi
Pramia spectent?

Vósq. per cliui tetricum rigentis
Repitis qui iam latus, in latentes
Valle subiecta insidias referri
Spernite longè.

Culpa in exemplum mea sit, meam qui
Perdidi caram Eurydicen, tueri
Dum volo, & gaudens oculos reflecto in
Ponè sequentem.

Scrupeum dorsi hoc iter est, & hirtum
Sentibus, sed mox veniens VOLVPTAS
Et QVIES, *summa regione, pascunt*
Nectare mentes.

Semitam vobis RATIO *praibit*
RECTA *per cliui nebulas, suámq.*
Praferet lucem: fugiétq. longè
Deuius ERROR.

Illa pertingens radio quadrinas
Per plagas mundi speculatur: ipsum
Sed nimis calum penetrare paruo
Lumine tendens,

Icari fatum metuat, liquatis
Sole qui pinnis nimium propinquo,
Decidit praceps, pelagóq. nomen
Fecit & omen.

DIGRESSVS SAPIENS.

IAM pæne solstitium ipsum & dies in veri ciuitate longissimus est: quo die cum Regina ingressurus Intelligentiæ templum Aristoteles, à solis descriptione quadam elegāti exorsus est. Depingit enim radium eius tanta lucis copia fluentem, vt oculis eam defixis acriter intueri nemo possit: quemadmodum etiam Dei præpotens atq. excellens natura animo & cogitatione nequit comprehendi. Id autem huic diei, quo



A. Templum INTELLIGENTIAE.
B. Statua Orphei.
C. Tabella in qua inſcriptum quaſi canticum Orphei, hortatorium ad contemplationem cæli.
A.C. Puella de comitatu Reginæ, canticum illud canens monitu Ariſtotelis, & iuſſu Reginæ.

de Intelligentia agitur, conuenientissimum exordium est. Intelligentia enim habitus siue scientia principiorum est, quam Tullius quoq. *Mentem* vocat, vt Aristoteles νοῦν: vterque ambiguè. Mens enim est quoque in qua inest mens illa siue scientia principiorum. Sic enim nomine *scientiæ* communiter accepto, habitus omnes mentis, non malè scientias nomines. Sed principiorum notitiæ habitum, philosophus ipse nominare solitus ἀρχὴν ἐπιστήμης, siue, *principium scientiæ*, propriè videlicet acceptæ, vt c.xxvi.lib.i.c.vlt.lib.ii.de Demonstr. At nomine vno hunc habitum haud facile dixeris. Antiquissimum verò principium & ἀρχιγένεθλον est, omni dignitate princeps, natura diuina. Quæque conditio principiorum est vt demonstratione scientiáq. comprehendi non possint, hæc in Deo præcipue cernitur, qui à seipso tantum plenè potest intelligi. Optimus igitur hic diei de Intelligentia exorsus est.

Nec vero ineleganter Dei cum Sole comparatio facta est. Imagines enim Dei geminæ: mens humana, & radius solis, vt est apud Philonem Herennium libro de somniis.

CVIVS IN OMNIMODIS.

Tanquam in transcursu attingit qualis Dei cognitio sit: ex reb. enim illam à Deo effectis ac procreatis efflorescere, non ex causa, cum ipse causarum sit omnium prima & antiquissima. Quod etiam Ægyptij olim volentes innuere, Mineruæ suæ siue Isidis templi vestibulo inscripsêre, quasi prædicantis de seipsa Isidis verbum. Ἐγώ εἰμι πᾶν τὸ γεγονὸς, καὶ ὂν, καὶ ἐσόμενον: καὶ τὸν ἐμὸν πέπλον οὐδεὶς πω θνητὸς ἀπεκάλυψεν. *Ego sum id omne quod fuit, quod est, quod futurum est, & peplum meum nullus adhuc mortalium aperuit*, Plutarchus lib. de Iside. *Peplum* scilicet, Dei, siue vt literæ sacræ loquuntur, τὰ ὀπίσω θεοῦ *quæ post Deum*, vident homines, non autem faciem eius.

VIDE SIS, VT CIRCVM QVAQ.

Descriptio templi Intelligentiæ siue Scientiæ principiorum structi adamante, in fornice autem siue testudine templi stellarum similitudines cerni errantium atque inerrantium, quarum specie animi excitentur ad contemplationem causarum cælestium, & cognitionem diuinitatis. Adamas autem lapis huic templo idoneus fuit. Intelligentia enim habitus principiorum, principiis vero perinde vt adamante lapide, nihil constantius, nihil firmius.

QVIBVS DOTATA, VIGERE PERGIT.

Rectè illi apud Suidam in κοιναὶ ἔννοιαι. ὁ νοῦς, inquiunt, ἀρχὴ ἐπιστήμης. *Mens principium Scientiæ*. Et principia siue κοινὰς ἐννοίας, vocant ἰνδάλματα νοῦ. *simulacra mentis*. Et, τοῦ νοῦ ἀποσκιάσματα. *Mentis adumbrationes*. Cicero i. legum. *Rerum plurimarum obscuras & necessarias intelligentias, quasi fundamenta quædam scientiæ*, &c.

CAECO NEQVE GREMII, &c.

Intelligi vult, ἰδιοπαθείας. Vulgus quoque ἰδιοσυγκρισίας vocat, ſed melius Galenus ἰδιοσυγκρασίας. Alexander in Problem. ἰδιότητας ἀρρήτους, & ἰδιώματα.

ADSPICE VT IN MEDIIS.

In medio Intelligentiæ templo ſiue in ipſo penetrali, ſiue adyto, ſtatua eſt Orphei vatis Theologi, cuius nomine inſcripti etiam nunc de laudibus diuinis hymni eſſe creduntur qui tamen nouitij alicuius Orphei ſunt. Eiuſdem quoque in æs inciſum eſſe fingitur in hoc templo carmen, adfixúmq. ad baſin Orphei ſtatuæ. Quod carmen vt adſpexit Ariſtoteles, ait Reginæ, dignum eſſe quod decantetur. Itaque Regina id ita fieri voluit. Vna igitur nunc de puellis Reginæ ſuauiſſimam vocem explicans, canit canticum illud conſcriptum quidem à Poeta noſtro, ſed concluſum definitione illa, qua præſtantis æternæq́ naturæ conditionem quodammodo expreſſit Orpheus, cum inquit *Deum eſſe diem & noctem*. Ex rebus enim effectis Deus perilluſtris, & quaſi dies: ex cauſa vero & vi naturáque ſua menti humanæ perobſcurus, & inſtar noctis. Orphei autem dictum illud eſt in Iouis hymno, quem Proclus aliíq. Platonis interpretes attulerunt, & plenius ceteris Euſebius lib. III. Præparationis Euangelicæ, in quo Iupiter inter cætera eſſe dicitur,

Πῦρ καὶ ὕδωρ, καὶ γαῖα, καὶ αἰθὴρ, νύξ τε καὶ ἦμαρ.
Ignis, aqua, & tellus, & cælum, noxq. dieſq.

TERRA CVR VESTRAS.

Hymni principium quaſi ἐπικέλευσις quædam & cohortatio, qua inflammentur animi ad capeſſendum iter in ſupremam felicitatis arcem, quæ ſapientiæ ac veritatis.

MONTIS INVITANT.

Inuitat mentes Orpheus in faſtigium montis Olympi, in quo rectiſſimè Orpheum auctor fingit hæc ita commentari. Nam Pieria, Olympus, Pimpla, & Libethrus olim loca Thraciæ, Orpheus autem Thracius fuit. Atque hæc ita eſſe Strabo diſputauit lib. x. Deinde quia vertex Olympi aptiſſimus animis in veritatis contemplatione defixis. Commenti enim poetæ ſunt, nullis eum ventis aut tempeſtatibus agitari propter excelſitatem, de qua Solinus c. XIV.

SED QVIES SEMPER DEA LAETA.

Intelligi vult ſummam Felicitatis poſitam eſſe in contemplatione, vt copiosè diſſerit Ariſtoteles c. VII. lib. x. ad Nic. Contemplationis autē quaſi ſoror, *Quies* à negotiis. Corporis enim labor & agitatio aduerſaria eſt cogitationi c. IV. lib. IIX. de republ. *Quietem* verò Deam fuiſſe Romanis patet D. Auguſtini c. XVI. lib. IV. de ciuit. Dei. Et *ſalutarem Deam*,

vocat Amm. Marcellin.lib.xix. Quieti & contemplationi etiam cognata Democriti Ευεςώ, de qua Suidas.

Cvlpa in exemplvm.

A ſeipſo exemplum ſumit Orpheus, quo nullum fingi potuit, accommodatius. Nam quod ipſe in Euridica vxore ab inferis educenda ſeruare debuit, ne retrò ad illam reſpiceret, hoc tenendum eſſe omnibus eximiæ felicitatis iter ingreſſis;'ne rurſus velint Politicæ vitæ moleſtis operoſiſq; negotiis implicari, aut referri ad inimicum rationis adpetitum, & obſcœnas vitiorum valles.

Scrvpevm clivi.

Perdifficile quidem iter eſſe in arcem philoſophicæ felicitatis, ſed laborem præmio felicitatis vberrimo compenſari. Vt in adytu Olympi montis, venti ac nubes moleſtiam patiunt, ſed voluptati eſt tranquilla in vertice planicies. Ex quò intelligi vult, quantò ſit contemplationis felicitas excellentior politica ſiue actuoſa, quæ nihil aliud quam iter & quaſi adſcenſus eſt in arcem felicitatis illius ſupremæ, quæ lætiſſima, ex veri contemplatione effloreſcit. Benè autem Poeta iunxit *Voluptatem* & *Quietem*. Comes nempe vtraque Beatitudinis. De *Quiete* iam dixi: de Voluptate autem res protrita ex Ariſtotele, vt c.III.lib.IIX. de Rep. vbi τὼ ἐυδαιμονίαν, inquit, μεϑ᾽ ἡδονῆς οἴονται πάντες εἶναι. Id eſt, *Beatitudinem cum Voluptate omnes autumant eſſe.* Ac verbis fere iiſdem c. XI. lib. VII. ad Nic. vbi & illud notauit, μακάριον id eſt *beatum*, dictum eſſe, quaſi μα χαίρειν id eſt, *valdè gaudentem.*

Illa pertingens radio.

Adiungit Orpheus humanæ ſapientiæ radio non ſatis viam muniri ad veram cognitionem diuinitatis: ſed prælucente illo, volitare quidem poſſe mentes ad verticem vtrumque cæli, & à ſole oriente ab obeuntem, réſque omnes intueri: ſed ſi altius efferre ſe diuináque ipſa contemplari perrexerint, Icari eis exemplo pertimeſcendum eſſe, ne in errorum pelagus immenſum deuij ac præcipites ferantur. Familiæ Pythagoricæ Symbola olim fuit, περὶ πυϑαγορείων ἄνευ φωτὸς μὴ λάλει. *De myſteriis Pythagoricis, ſine luce ne loquitor.* Refert Iamblichus Symb. Pythag. XIII. Bene hoc in pleróſque nunc ieceris parodicè. *De rebus diuinis, ſine luce ne loquitor.* Commemoratione digniſſimum quod ex Ariſtotele profert Romanus ille Stoicus, Natural. Quæſt.c.xxx.lib.VII. *Egregiè*, inquit, *Ariſtoteles. Nunquam nos verecundiores eſſe debere, quàm cùm de Diis agitur*, &c.

DIES TRICESIMVS, DE SAPIENTIA.

NON aliâs loto se purius extulit ore
Cynthius, hac lustro dum vrbis pomœria nostra,
Quàm nunc mane nouo, nitidus pexísq. capillis
Exoritur, dixit Senior. Celeberrimus omnes
Iste dies inter, stellas vt Luna minores
Enitet, atq. hilarat festiuo lumine terras.
Scilicet illius hoc Titan largitur honori,
Visere nunc cuius sancti penetralia templi
Ingredior. Dia hic spargit SAPIENTIA lucem,
Praui a quæ menti est ad Solis regna supremi
Illius, hic radians quem Phœbus imagine terris
Inferiore refert. Templum hoc penetrabile menti est,
In regione prius virtutum exercita curis,
Quæ iam pura nitet, quarum alta palatia splendent
Collibus imposita his, summæ sub mœnibus arcis.
Vita beata illìc in agendis strenua floret
Rebus: & hanc pars plena colit, cui firmior ætas,
Et valido vegetæ superant in corpore vires.
Cærula Sapphiro & solida est adamante beati
Materies templi, primíq. imitata nitorem
Cæruleum fani, & candentia limina quarti.
Celsa quidem stant tecta tui PRVDENTIA templi,
Pluribus & circum callis rutilantia: cælo
Sed domus hæc quam dia colit SAPIENTIA, longè
Notior est, minus & dominæ exagitata superbis
*Fortunæ imperiis, Sapiens sibi nam * satis vnus* * αὐτάρκης.
Semper, & insensæ nil curans murmura plebis,
Plaudat in hoc vitæ mimo anne exsibilet, vtrum
Lædere vulgus iners, an sit laudare paratum,
Non mage respiciens campo quàm fortis aperto
Curat equus, quantum ad se stulta canicula latret.
Aut veluti Rhodopes, aut celsi culmen Athonis,
In vaga non metuit salientes littora fluctus.
Mente pia semper, nullísque erroribus acta,

Vertitur ad cæli sapiens spectacula: sacris
Sic operans litat, indomiti non sanguine tauri
Sed domito sensu, & menti seruire parato.
Et nec opes inhiat sitiens, nec curat honores:
Nec minus est solus, quàm solus cum viget, vnus
Pro populo sibi nam sapiens, celebrísq. theatri
Est vice. Sol veluti solus licet, adfluit vsque
Luce sua, nec eget trepidantibus æthere stellis.
*Quin satis * est, de luce faces accendere cunctis*
Vnicus ille sua, si Fors exstinguere posset. * par siue sufficiens vt Æneide vii.
Talis Anaxagoras sapientia Clazomenij,
Qui pedibus terram peragrabat, sidera mente,
Corpore terrigeno piger, ast animo incola cæli
Impiger, & rerum sollers cognoscere causas.
Illius effigies in cæli suspicit arcem,
Et digitum tendens ad sidera, voce videtur
Dicere sic veluti missa, MIHI PATRIA CAELVM.
Stant alij SOPHIAE proceres clari ordine longo:
In primis numero sapientes Græcia septem
Quos dedit: exfensos quot nunc reperire saperdas
Sit labor haud facilis. Tanta est sapientia sæcli.
Cuncta sub aurata magni testudine templi
Stant simulacra velut minitanti seria vultu,
Adspiciúntq. oculis quasi fixis atria cæli,
Solis & vt summi sitientibus ora tueri.
Hæc postquam Sapiens docta sub voce peregit,
Cuncta beatificam memorans visenda per vrbem,
Iam, dixit, Regina dies monet, ipsáque meta
Vrbis, & hoc templo residens SAPIENTIA, fessa
Vela ratis trahere, & tuto requiescere portu.
Te Regina tuus qui paruus lusitat aula
Filiolus, votis iam pridem oculísq. requirit,
Te pater ipse domus, atque Eridanitides omnes
Iamdudum reuocant Nymphæ: mî sede manere
Conuenit hac, placidáq. DEAE SAPIENTIS in æde,
Menti mente pia precibúsq. litare supremæ.
Suscipiens Regina, imo sub pectore dixit
Hæc oris mihi fixa tui documenta manebunt
Semper, & hæc eadem de me meus audiet olim
Filiolus, regni superest qui solus auiti
Heres, & generis spes magna sed vnica nostri.

Cui mea quid melius poterit pia cura vouere,
Quàm gemina vt statua dignus P R V D E N T I S *in æde*
Stet D O M I N A E *argento nitidus,* S A P I E N T I S *in æde*
Aureus, & geminæ felicia præmia metæ
Occupet, æternùm cæli statione beatus?
Sic ait & sapienti animæ, * *gratissima tantis* * Aristoteli.
Grates pro meritis fassa est Regina, suósq.
Inde lares repetens abiit, labentibus annis
Culmine sub templi sedes habitura perennes,
Dans vbi perpetuo S A P I E N T I A *munere vitam,*
Ambrosio mentes contingit rore beatas.

NON ALIAS LOTO.

OMNES libri sui partes auctor ita concinnè peritéque distribuit, vt à diebus lætis ad lætiores, & posttemò ad lætissimum sapientiæ diem perueniret. Quid enim lætius ac festiuius, quid omni specie decoris ac dignitatis plenius, quàm Sapientia, quæ totius contemplationis quasi regina est? Consideratio enim conremplatióque naturæ, qui est vnus suauissimus pastus animorum, eam adferre potest delectationem propter quam labores ærumnæque omnes vitæ exantlentur. Itaque & bella suscipimus pacem optantes, *maximéque optabile omnibus sanis, & bonis, & beatis, cum dignitate ocium*, c. VII. lib. X. ad Nicom.

Conuenienter itaque Sapientiæ templum & illustrius ceteris omnibus, & maiore artificio constructum, & sublimius, auctor effinxit. Est enim Sapientia mentis habitus limatissimus, scientiarúmque ipsarum quasi magistra & domina. Principia enim & firmamenta illarũ si oppugnentur, ad sapientiam illis perfugium est, quæ & propria scientiarum initia per causam siue demonstrationem, & communia principia per inductionem, & vt vulgus philosophantium loquitur, *à posteriori* defendit. Propter eáque Eustratius in VI. de morib. ad Nicom. *primam philosophiam siue theologiam*, vocari ait, τέχνην τεχνῶν, ἐπιστήμην ἐπιστημῶν, *Artem artium, Scientiam scientiarum*, διότι, inquit, τεχνοῖ τὰς τέχνας, καὶ ἐπιστημοῖ, τὰς ἀναποδείκτους αὐτῶν ἀρχὰς, διασαφοῦσα καὶ παραδιδοῦσα ταύταις αὐτάς, καὶ παρασκευάζουσα ταύτας, ἐκ τῶν παρ' αὐτῆς παραδιδομένων, τὰ οἰκεῖα κατορθοῦν τέλη, &c. Id-est. Quia facit vt artes sint artes, & scientiæ sint scientiæ siue & artib. & scientiis formam tribuit, & quidem trifariam. Primum quia principia earum explicat, deinde quia tradit eis principia postremo quia sic instruit eas, vt ex iis quæ acceperint à Sapiẽtia, ipsæ ad suum sibi quæque finem collineare possint, &c. Quod autem Eustratius *Sapientiam*, siue σοφίαν, vocari ait *primam philosophiam & theologiam*, cum discrimine accipiendum est, de quo dictum die XXVI.

Merito igitur hanc virtutem plurimis nominibus insignem fecit atque honestauit Aristoteles. Nam & σοφίαν, siue *Sapientiam*, & πρώτην φιλοσοφίαν, siue *primam philosophiam*, & μετὰ τὰ φυσικὰ,



A. Templum SAPIENTIAE ceteris omnibus excellens, ſtructum adamante, & ſapphiro.

B. Anaxagoras Clazomenius digito in cælum intento, iuxtáq. hunc in aliis cællis SAPIENTES alij.

C. Ariſtoteles VALE Reginæ dicens.

ſiue *res natura ſuperiores*, & θεολογίαν, ſiue *rerum diuinarum ſcientiam indigetauit*, vt eſt apud Stobæum ſermone xxiix. Idémque φιλοσοφίαν *philoſophiam* nominitauit vt c.vii.lib.ii. Sapientiæ. Et πρώτην σοφίαν. *Primam Sapientiam* c.iii. lib.iii.Sap. Et δευτέραν φιλοσοφίαν, *ſecundam philoſophiam* c. xi.lib.vi.c.vi.lib.x.Sapient. & φιλοσοφίαν θεολογικὴν ſiue *Theologicam philoſophiam* c.v.& vii.lib.i.Sapient.c.iii.lib.i.De ortu & interitu, & abſolutè θεολογικὴν ſiue *Theologicam*, c.vi.lib.x.Sapient. Et σοφίαν, καὶ τιμιωτάτην ἐπιστήμην *Sapientiam, & ſcientiam honoratiſsimam* c.x.lib.xi. Sapient. Et ἀρχικωτάτην, καὶ ἡγεμονικωτάτην, καὶ ἣν ὥσπερ δούλας, οὐδ' ἀντειπεῖν τὰς ἄλλας ἐπιστήμας δίκαιον, id eſt, *Omnium maximè principem ac ducem: & cui ceteras ſcientias quaſi ancillulas dominæ, reſponſare aut obloqui fas non ſit.* Eandem vir diuinus Plato lib.vii.de repub. *Dialecticam* vocauit, eandémque ait ὥσπερ θριγκὸν τοῖς μαθήμασιν ἐπάνω κεῖσθαι, *quaſi apicem eſſe omnium ſcientiarum.* Sed non ſine ſuo ſibi diſcrimine, omnia illa nomina conueniunt in *Sapientiam*, vt nunc differere longum eſſet. Digitum verò quaſi ad fontes intendi ſupra die xxvi.

PRAEVIA QVAE MENTI EST.

Sapientia enim rerum diuinarũ ac præclararum ſcientia eſt, qua mẽtes inluminatæ, ſurgunt ad præpotentis rerum omnium Dei cognitionem. Ariſtot.c.xxxv.lib.i.Mag.moral. Ergo & Sapientia cèteris omnibus ſcientiis excellit. Nam ſcientiarum dignitas è ſubiecta eis materia eluceſcit. Materies autem ſapientiæ præſtantiſſima eſt, nempe res diuinæ & præclaræ, longiſſiméque ab omni corporis & materiæ contagione diſtantes. Quæ diſputatio eſt apud Ariſtotelem c. vii. lib. vi. ad Nic. c.xxxv.lib.i.Magn.moral.c.vii.lib.x.Sap.c.ii.lib.i.Sap.maior. Solis autem ſupremi nomine Deum Poëta intelligi vult, vt Orpheus in hymno Iouis, quem profert Euſebius Pamphili.

Ζεὺς ἥλιος ἠδὲ σελήνη
Luna & Sol, Iupiter idem.

TEMPLVM HOC PENETRABILE MENTI EST.

Ad Sapientiæ templum, & contemplationis beatitudinem, perueniri via moralium virtutum, ni perturbationum ventis agitetur animus contemplari volentis. Ergo & ætate firma robuſtáque plures ad Felicitatem actionis animum adpellere, quam ad beatitudinem cognitionis & veritatis. Quoniam prudentia quæ dux & magiſtra eſt agendi, in rebus cum materia coniunctis verſatur, actionibus nempe humanis: Sapientia verò quæ domina eſt contemplationis, rerum eſt ſeiunctarum ab omni materia. Itaque auctor diſtinguit hoc in loco munus atq; officium, & quaſi arbiter fines regit Prudentiæ & Sapientiæ, vt Ariſtot. c. iix.lib.x.ad Nic.

CAERVLA SAPPHIRO.

Sapientiæ templi deſcriptio magnifica. Nam exædificatum eſſe ait

ſapphiro & adamante: Adamantem ad Intelligentiam, ſapphirum ad Scientiam refert. Nam ex vtroque, ſcilicet Intelligentiæ Scientiæque habitu, ſapientiæ decus effloreſcit c. VII. lib. VI. ad Nic. vbi etiam elegans illud *Sapientiam* eſſe quaſi ἐπιστήμην κεφαλὴν ἔχουσαν, id eſt, *Scientiam cum capite*, &c. vt contra dixeris. *Scientiam* eſſe quaſi Sapientiam ἀκέφαλον ſiue *caput non habentem*. Cur autem ſapphirus Scientiæ: adamas Intelligentiæ conueniens ſit, iam declaratum eſt die XXVII. & XXIX.

CELSA QVIDEM STANT TECTA.

Sapientiam potiorem eſſe Prudentia, nam Prudentia telis fortunæ magis expoſita eſt, quia in actionibus humanis verſatur, at Sapientia quaſi ex arce munitiſſima deſpicit omnes fortunæ tempeſtates. Ac Prudentia quidem fortunæ præmiis ad rerum magnarum ſuſceptionem eget: ſapienti autem in ipſo theſauri omnes repoſiti ſunt, paucíſq. contento licet omnibus ſapientiæ copiis abundare. Quod ipſum Epicurus quanquam magiſter voluptatis, non ineleganter expreſſit, cum diceret *Fortunam exiguam interuenire ſapienti*. Atq. hoc à tam multis vſurpatum eſt, vt iam prouerbij ſpeciem habere videatur, vt Cicerone lib. I. de finib. Plutarcho lib. de Fortuna. L. Seneca c. XV. lib. II. de tranquill. & dixi ad diem XXIIX.

INSENSÆ NIL CVRANS MVRMVRA PLEBIS.

Alia ſapientis conditio. Vulgi ab eo laudes contemni, quia eſt αὐτάρκης, Quod poetica ſimilitudine auctor inluſtrauit. Nam vt Athonis aut Hæmi montis accolæ non terrentur æſtu, aut inũdatione maris: ſic animus ſapientis neque laudibus imperitorum, neque probris commouetur. *Eſt enim philoſophia paucis contenta iudicibus, multitudinem conſultò ipſa fugiens, eíque & ſuſpecta & inuiſa*, inquit M. Tullius lib. II. Tuſcul. quæſt. Quod à Lactantio c. XXV. lib. III. iniuria reprehenſum eſt. Nam eadem quoque mente Socrates fuit, qui τὰ τῶν πολλῶν δόγματα, λαμίας ἐκάλει, παιδίων δείματα, *Imperitorum iudicia Lamias vocare ſolitus eſt, & caſſas puerorum terriculas. Nihil enim eſt*, vt idem Cicero in libris de diuinitione poſuit, *tam vulgare, quàm nihil ſapere.* Concinnéque ac rotundè Plutarchus, ὃ γὰρ τοῖς πολλοῖς ἀρέσκειν, τοῖς σοφοῖς ἐστιν ἀπαρέσκειν, *multitudini placere, eſt ſapientibus diſplicere*. Lib. de inſtitutione puerili. Neque non ſapienter Epicurus apud L. Senecam epiſt. XXIX. *Nunquam*, inquit, *volui populo placere, nam quæ ego ſcio, non probat populus: quæ probat populus, ego neſcio. Quis placere poteſt populo, cui placeat virtus? Malis artibus popularis fauor quæritur. Similem te illis facias oportet.* Sed pauſam facio, ne quis mihi illud Ciceronis: *Deſine quæſo communibus locis, domi nobis iſta naſcuntur.*

MENTE PIA SEMPER.

Alia ſapientis nota puriſſimam & ſanctiſſimam ab eo mentem Deo tanquam pro victima offerri. Quo loco belliſſima auctoris alluſio eſt. Non litare ſapientem tauris indomitis, ſed domitis ſenſibus. Tauros ve-

ro indomitos intelligit hostias iniuges, siue intactas siue ἀδμήτους & ἀζύγους. *Nullis vnquam stimulis, nullius operis excitatas conatu*, vt Arnobius loquitur lib. VII. aduersus gentes.

NEC MINVS EST SOLVS, &c.

Aliud sapientis adiunctum siue alia nota, qua secernitur à prudente. Solitudinem sapienti perplacere. Sapiens enim officio suo in solitudine ac recessu perfungi potest: prudens in luce ac populi frequentia versetur necesse est. Nam sapiens cum discessit à multitudine ac negotiis, propius ad veritatis cognitionem, Deúmque ipsum accedit: contráque in communitate hominum, vitáque operosa, L. Senecæ verbis ex epist. VII. sæpe lamentari licet, *Auarior redeo, ambitiosior, luxuriosior, imò verò crudelior & inhumanior, quia inter homines fui*. Et argutè Symmachus. *Seriam solitudinem, solitate plebeia fuscari*, hoc est, frequentia populari. Et Romanus Dio περὶ ἀπιστίας. πολὺ ἀσφαλεστέρα, inquit, καὶ κρείττων ἡ ἐρημία, τῆς πρὸς τοὺς ἀνθρώπους κοινωνίας. *Multò securior & melior solitudo, quàm societas hominum*. Et nota maioris Africani vox. *Se nunquam minus solum esse, quàm cùm solus esset.*. Ex qua illud Poetæ nostri de sapiente. *Nec minus est solus quàm solus cùm viget*, &c. Et *pro populo* dixit Poeta sapientem sibi, & *pro theatro* esse, imitatus voces Democriti & Epicuri, quas laudat. L. Seneca epist. VII.

TALIS ANAXAGORAS.

In prima templi sapientiæ cælla statuam posuit Anaxagoræ Clazomenij, qui lautum & copiosum patrimonium præ studio sapiētiæ contemsit. Cumque admoneretur, vt patriæ suæ curam aliquam susciperet, ego verò inquit, suscipio, & digito sublato, cælum eis demonstrauit, germanam sibi illam patriam esse intelligens. Diog. Laërt. in Anaxagora. Tangit quoque declamator Himerius. Neque dissimile illud huiusce Anaxagoræ, quod Philo Herennius refert lib. de immortalitate mundi. Interrogatum cur plerumque in agris sub dio pernoctaret, respondisse, cæli contemplandi causa. Et intelligi eum voluisse ait Philo, τὰς χορείας καὶ περιφορὰς τῶν ἀστέρων, id est, *Choreas siue tripudia & conuersiones stellarum*. Eiusdem modi est quod rogatus olim, cuius rei causa natus esset, *cæli ac solis videndi causa*, respondit. Quod reprehendit Lactantius c. IX. lib. III. quanto iudicio, ipse viderit.

EXSENSOS QVOT NVNC, &c.

Lusit ad dicterium Aristarchi qui Theodectæ pater, quod refert Plutarchus lib. περὶ φιλαδ. *Olim vix septem Sapientes in Græcia exstitisse, hodie non facile totidem idiotas reperiri*. Et *saperdas* Poeta dixit pro insipidis. Sic enim Varro Terent. accipi voluit, non vt Festo & Marcello visum, pro sapientibus.

SOLIS ET VT SVMMI.

Tetigit figuratè ſummum bonum, & vltimum illud vitæ præmium & finem, Dei viſionem *de facie ad faciem* vt Hebræi loquuntur, & D. Auguſtinus c. XIII. lib. X. de trinitate, ſiue τὴν τοῦ θεοῦ θεωρίαν, vt Origenes poſuit lib. II. περὶ ἀρχῶν. Quemadmodum etiam D. Ambroſius c. III. lib. II. de ſpiritu ſancto. *Vitam æternam* eſſe ait *videre patrem, filium & ſpiritum ſanctum*. Et D. Cyprianus epiſt. IIX. *Summam eſſe voluptatem admitti vt videas Deum*.

HÆC POSTQVAM SAPIENS.

Vela iam orationis ſuæ contrahere incipit Ariſtoteles, ac finem facere, poſtquam Reginæ ciuitatem Veri totam aperuit, rationéſque ac vias tradidit perueniendi ad felicitatem, actioníſque & contemplationis auxilio, cum terreni exſilij tempus abſolutum fuerit, reuertẽdi in patriam cæleſtem. Diſceſſurus igitur nunc ſapientiæ magiſter, tempus eſſe ait Reginæ poſt diuturnam dierum XXX. viam remeare ad ſuas caritates, coniugem & liberos, ſibi autem ipſi illud Sapientiæ templum incolendum eſſe, vbi continuatis precibus à Deo ſuppliciter ac demiſsè petat veniam erratorum, quibus deletis migrare poſſit in cœleſte illud felicitatis domicilium, vbi beati fruuntur æuo ſempiterno.

SVSCIPIENS REGINA.

Reſpondens Ariſtoteli Regina, eandem felicitatem etiam filiolo ſuo Carolo Emanueli tunc fere quadrimulo exoptat, multò quidem ſapientior mater quam auiæ illæ & nutriculæ, & pædagogi, qui alumnis ſuis voluptates tantum, aut magnam pecuniam optant euenire, vt apud Perſium in ſatyris.

Hunc optent generum rex & regina, puellæ
Hunc rapiant, quidquid calcauerit hic roſa fiat.

Et apud L. Senecam ep. LX. At Regina ſapienter filiolum ſuum duabus tantum ſtatuis ornatiorem videre expetit, argentea vna, altera verò aurea: illámq. in templo ei prudentiæ ſtatui, hanc vero in æde ſapientiæ. Quibus in templis omnis vitæ felicitas continetur. Quo tam ſapiente voto & huiuſce diei, & totius morum ciuitatis ſermo ſapienter ab auctore tanquam ſalutis quodam augurio concluſus eſt.

Errata scripturæ.

P.2.verſ.6.Profuſio terum,lege effuſio terum p.ead.v.17.In præceps iaciens l. In præceps laciens p.9.v.20. legiſſe olim mihi l.legere olim mihi p.23.v.18.Choridis l.Chloridis p.24.v.12.& mens conſcia veri, l. & mens conſcia veri p.ead.v.16.quæ temperat æſtus l. quæ temperat æſtus p.26.v.21.male,ſanus l.male-ſanus p.30.v.vlt. rietas l.varietas p.35.v.8.effuſa caligo l.offuſa caligo p.37.v.36.Ingenio ſedem l.Ingenio ſedem:p.39.v.30.ac boni propoſiti l.ad boni propoſiti p.60.v.5.Tempus mire l.Tempus inire p.62 v.31.tuta timere Omnia l.tuta timere Omina vt Æneide 4.Omina tuta timens p.ead.v.32.& aſſiduis tepidos l.& aſſiduis trepidos p.63.v.antepen. Salmonæi l.Salmonei p.64.v.7.caſtrinait l.eſtinait p.76.v.3 ſit,non dicam l.ſi,non dicam p.79.v.14 ſæpe liquores l.ſæpe liquoris p.84.v.33. ἐχθφέρων l.ἐχθαίρων p.88.v.penult. laturi l.daturi p.99.v.27.ruuntq. ſuea,velut l. ruuntq.ſues velut.p.101.v.32.quibus hydrope venter l.queis venter hydrope p.103 v.7.Lucida l.Lutea p.110.v.9. Sicut inexpleto tumet hydrope l.Sicut hydrope tumet dito tum p.114.v.19.ſaccis, indormit l.ſaccis indormit p.127.v.35.Veritas l. Veritas p.15t.v.antep Ariſtipus l.Ariſtippus p.136.lenit ac ſedet l. lenit ac ſedat p.147 v.20. agyrta illis,l.agyrta illic.p.18c.humanis l.humani p 182.v.21.orate l orare p.192.v.23 Deo ſuiua l Dea ſorna p. 197.v.25.ſeruat. Ignem l.ſeruat Ignem p.207.v.23.ſimulare l.ſimulatæ p.210.v.7.lætiſſima ramis. Pendentes l. lætiſſima, ramis Pendentes p.220.v.16.ſynceris l. ſinceris p.ead.v.29.ſydera l ſidera p.223.v.vlt. Tyrinthius l. Tirynthius p.230.v.24.cytharæ l.citharæ p.234.v.20.Paragrammatiſſimi l. Paragrammatiſmi Quod autem eſt p. celeriſſimus,pro celerrimus,recté eſt.Sic enim veteres Poetæ & iuris auctores.Et quod p.68.eſt,pugnare, intellige vt explico p.196.

Extraict du Priuilege.

SVYVANT le priuilege du Roy noſtre Sire,il eſt permis à Ambroiſe Drooart, Libraire Iuré en l'Vniuerſité de Paris, d'imprimer ou faire imprimer, mettre en vente & diſtribuer vn liure intitulé, *Ciuitas veri ſiue morum, Bartholomei Delbene*, & faict defenſes ledit Seigneur à tous Libraires,Imprimeurs,ou autres,de non Imprimer ou faire Imprimer, vendre ny diſtribuer en ſes pays,terres & ſeigneuries, autres que ceux qu'aura Imprimé ou faict Imprimer ledict Drouart,ſur les peines contenues eſdictes lettres, & ce iuſques au temps & terme de ſix ans,à compter du iour & datte qu'il aura eſté acheué d'imprimer,comme plus a plain eſt contenu eſdictes lettres patentes. Veut auſſi ledict Seigneur que l'extraict du priuilege mis au commencement ou à la fin du liure qu'il ſoit tenu pour deüement ſignifié. Donné à Paris le 23. iour d'Octobre,1608.ſignees par le Roy en ſon conſeil.

DEHVMERY.